M. T. CICERONIS CATO MAIOR, SEV DE Senectute Dialogus ad T. Pomponium Atticum, partim commentariis Xysti Betuleij, partim Erasmi Roterod. & Petri Balduini adnotationibus, illustratus.

Adiecta est Chronologia in tres libros, de Officiis, Amicitia, Senectute, Xysto Betuleio autore.

PARISIIS,
Apud Thomam Richardum, sub Bibliis aureis, è regione Collegij Remensis.
1550.
CVM PRIVILEGIO.

Marc. Tullij Ciceronis
CATO MAIOR, SEV DE
Senectute, ad T. Pomponium Atticum.

PRAEFATIO.

O Tite, si quid ego adiuto, curámve leuasso,
Quæ nunc te coquit, & versat sub pectore fixa,
Et qua deprimeris, ecquid erit precij?

Licet enim versibus eisdem mihi affari te, Attice, quibus affatur Flaminium ille vir haud magna cum re, sed fidei plenus: quanquam certò scio, non vt Flaminium solicitari te Attice sic noctes diesque. Noui enim moderationem animi tui, & æquitatem: teque non cognomen solùm Athenis deportasse, sed humanitatem & prudentiam intelligo: & tamen suspicor iisdem rebus te, quibus meipsum interdum, grauius cōmoueri. Quarum consolatio & maior est, & in aliud tēpus differenda. Nūc autem mihi visum est, de senectute aliquid ad te scribere. Hoc enim onere (quod mihi tecum commune est) aut iam vrgentis, aut certè aduentantis senectutis, & te, & meipsum leuari volo: etsi te quidem id modicè ac sapienter (sicut omnia) & ferre, & laturum esse certò scio. Sed mihi, cùm de senectute aliquid vellem scribere, tu occurrebas dignus eo munere, quo vterque nostrum communiter vteretur. Mihi quidem ita iucunda huius libri confectio fuit, vt non modò omnes absterserit senectutis molestias, sed effecerit mollem etiam & iucundam senectutem. Nunquam igitur satis laudari dignè poterit philosophia: cui qui pareat, omne tempus ætatis sine molestia posit degere. Sed de cæteris & diximus multa, & sæpe dicemus. Hunc verò librum de senectute ad te misimus. Omnem autem sermonem *Atticus.*

Tithonus. *Aristo Chius.* *Personarũ digni tas addit oratio ni auctoritatem.*

tribuimus, non Tithono, vt Aristo Chius, ne parum esset auctoritatis in fabula: sed M. Catoni seni, quò maiorem auctoritatem haberet oratio. Apud quem Lælium & Scipionem facimus admirantes, quòd is tam facilè senectutem ferat, iisq; eum respondentem. Qui si eruditius videbitur disputare quàm consueuit ipse in suis libris, attribuito Græcis literis, quarum constat eum perstudiosum fuisse in senectute. Sed quid opus est plura? Iam enim ipsius Catonis sermo explicabit nostram omnem de senectute sententiam.

ERASMVS. Tertius versus ita mutilus est, vt ne constet quidem ea pars, nisi in deprimeris elidas vltimam consonãtem. Integer erit, si post hoc verbum addas post, aut mox, aut deinctum in fine adiicias, mi. Vtranque vocem addidit Theodorus, hæc Græcè vertens, ἔπατ᾽ ἄν ἐμοὶ, siue vetustum aliquod exemplar secutus, siue vt expleret metrum. Ille vir haud magna in re.) Quidam deprauarant, haud magna cum re: non agnoscentes Romani sermonis elegantiam, qua vsus est Horatius in epistolis,

Me libertino natum patre, & in tenui re,

Maiores pennas nido extendisse loqueris.

Fortunæ tenuitatem, & rei familiaris angustiam significans. Rursus in Satyris, Validus malè filius in re Præclara sublatus, diuitem indicans. Ad eum modum Ennius, opinor, describitur, fortuna quidem tenui vir, sed egregiæ fidei. Nam videtur & hoc esse fragmentum Enniani carminis, vt finis heroici carminis sit, Ille vir haud magna in re, initium alterius, Sed plenus fidei. Non refellam hic vel Petri Marsi, vel aliorum commenta, quum ipse Theodorus videatur non animaduertisse M. Tullij sensum, vt qui verterit τῷ πράγματι μὲν οὐ πάνυ μεγάλῳ ἔμπλεος γεμὼν πίστεως ὢν ἐφίκει. quasi Flaminius de re leui sit discruciatus: alioqui addidisset articulum Græcum, ὁ ἐν οὐ πάνυ μεγάλῳ πράγματι. sed quid hoc ad rem, aut qui cohæret, sed plenus fidei? Certè vox πράγματι Græcis ad facultates referri non potest, dicturis potius opinor, ὑπάρξει, aut οὐσίᾳ. Quibus meipsum.) Nouum sermonis genus. Neque enim hoc sentit, se suspicari, iuuenes iisdem rebus commoueri, quibus suspicatur se ipsum commoueri. Quis enim suspicatur de seipso? Et si te quidem.) quod hic absolutè subiicit, & si, id vsitatius est in quanquam, neque tamen verebimur imitari Ciceronem.

BEDVADETIS. De operis titulo satis opinor in Lælio dictum est. Hunc autem librum ante Lælium scriptum esse, non ex personarum modò ætatibus, quæ in vtroque sermone introducuntur, intelligi potest: sed etiam ex Lælij præfatione, vbi huius tãquam antè scripti mentio fit.

Cato Maior.) *Adiectum est Maioris epitheton, quia posterioris quoque Catonis laudẽ Cicero conscripsit. Cùm hoc Cæsar ad sui obtrectationem pertinere putaret, Anticatonem suum scripsit, de quo apud Plutarchum in Cicerone ita legimus: ἐν δὲ τότε διετέλει τιμῶν καὶ φιλοφρονούμενος, ὥστε καὶ γράψαντι λόγον ἐγκώμιον κάτωνος, ἀντιγράφων τόν τε λόγον αὐτοῦ καὶ τὸν βίον, ὡς μάλιστα τῷ περικλέους ἐοικότα, καὶ θηραμένους ἐπαινεῖν. ὁ μὲν οὖν κικέρωνος λόγος κάτων, ὁ δὲ καίσαρος ἀντικάτων ἐπιγέγραπται.*

O Tite.) *Fabius Quintil. li. 2. cap. 3. scribit, apud Ciceronem præcipuè Ennij, Actij, Pa-*

cuuij, &c. versus incertos inueniri. Et Cicero ipse de Oratore secundo non abnuit, quin versus etiam facetè interponatur, vel vt est, vel paululum immutatus. Sed quia exordia quoddã ornamentum (vt templis vestibula) orationibus afferunt, maximè si ex ipsa causa sumantur, Cicero præfationis ingressum versibus Ennianis, non minus ad ipsum argumentum, quàm Attici personam idoneis, exornat. In hoc autem Cicero Platonem sequutus non est, quod præfationes suis dialogis præmittit, cùm ille ex abrupto suos ordiatur. Et hic noster in Lælio, & Catone, inquam, & inquit, vitat quidem, in reliquis autem Platoni Xenophontique non cessit: quæ Budæo non tam ἐλλειπτικὰ, quàm dialogicæ venustatis videtur. Olim enim vsus dialogorum disputationibus philosophicis fuit celeberrimus, quem morem Cicero à Græcis ad suos Latinos transferre, vnà cum ipsa philosophia voluit. Si quid.) Debebat enim hoc amicitiæ mutuæ, cuius officium est, tam mutuò admonere, quàm omnia cõmunia reddere. Leuasso.) pro leuauero. venerandæ vetustatis vestigiũ: vt illud, Nemo separatim habessit deos. Item, si aliquis im occisit. Ecquid.) Cum venustate interrogat. Terent. in Eunucho: Ecquis me viuit hodie fortunatior? Precij.) Tristitia enim arefacit ossa, vt Sapiens in Prouerb. testatur, cap. 17. Haud magna cum re.) Erasmus legit, haud magna in re: testimonio Horatij. Rei familiaris angustiam intelligit. Confessum iampridem est, rei vocabulum inter cætera etiam facultates significare: quam sanè etiam ita tenuem Ennius habuit, ita parcè victitauit, vt vnius famulæ ministerio contentus fuerit. Mezlerus, haud magnæ artis, exponit: Ouidij autoritate nixus, Trist. lib. 2. Ennius ingenio maximus, arte rudis. Philelticus verò, haud magna sapientia. Sed quia de ingenio constat, miror qui sapientia caruerit. An propterea caruit sapientia, quia in arte poëtica, quam ipse ferè erudiuit, rudior est? non opinor, vt qui, Varronis sententia, Musarum discipulus fuerit. Liquidum sapientiæ testimonium illi fert Horat. Ennius, inquit, & sapiens, & fortis, & alter Homerus. Certè cordatum eum fuisse verisimile est, cui tria corda tribuuntur. Si ipsius versus in ipso locum habent, vt Aelius Præconius affirmat, quos de Seruilio Geminio scripsit, fieri non potest, quin sapientiæ sale conspersus fuerit. Versus subiungam:

Ingenium cui nulla malum sententia suadet,
Vt faceret facinus, leuis, haud malus idem
Doctus, fidelis, suauis homo, facundus, suoque,
Intentus, atque beatus, scitus, secunda loquens, in
Tempore commodus, & verborum vir paucorum,
Multa tenens antiqua, sepulta, & sæpe vetustas
Quæ facit, & mores veteresq; nouosque tenentem
Multorum veterum leges diuûmque hominumque
Prudentem, qui multa loquíve tacerévе posit.

Sapiens igitur, contra Phileltici sententiam est. Sapidus, qui in hoc studiorum genere haud vulgariter sapit, olim mecum super quibusdam Ciceronis locis conferens, contendebat, melius hic legi, haud magna cura. Quam tum lectionem sine euidentiore ratione, vt non temere affirmo, ita fortassis à Mezleri, vel Nasonis potius opinione non vehementer abhorrere iudico. Theodorus transtulit, τῷ πράγματι ὃ πάνυ μεγάλῳ. qui ad πολυπραγμοσύνην respexisse videtur: cui sententiæ ego non grauatim accedo. Haud enim simile vero est, eum fuisse πολυπραγματία, vt qui suas cogitationes ad studia posuit. Cæterùm fides eius apud Crinitum satis liberaliter celebratur. Noëma ergo est, & ἐγκωμιαστικόν, cuius vsum rhetores in citandis Chriarum sententiarumque autoribus commendant. Porrò modum hunc loquendi latinum esse, docet Laurentius Valla lib. 2. cap. 6. Græca constructio nihil prohibet, siue In cum Ens.

ſmo legas, ſiue Cum. Vide Budæum, & Varennium. Ennius ipſe in Annalibus dixit, Magna cum cura,

Certantes magna cum cura, tamen cupientes,

Regni dant operam, ſimul auſpicio, augurióque.) & apud Crinitum libro 9. Non vt Flaminium.) Qui propter fratrem à Catone cenſoria nota in ordinem redactum, dolebat. quod de inferius ex Plutarcho. Quanquam certò ſcio.) Occupatio, continens ἐπανόρθωσιν quandam, cuius vſus ferè in exordiis obſeruatur. Et in exemplis diligenter obſeruãdum, quid diſsimile ſit, vt id per correctionem mitigemus. Noctesque diesque.) Aſsiduitatis prouerbium Quod hæc phraſis carmini magis conuenit, mirum non eſt, quum Cicero ad originem reſpexerit. certè Gaza Homeri & Heſiodi hemiſtichium expreſsit. Noui enim.) Ethologia. continens τὸ ἐγκωμιαστικόν. Moderationem.) Eam Nepos quoque celebrat, nempe quod pari faſtigio ſteterit in vtraque fortuna. Theod. ἔγνων καὶ σοῦ τὸ τῆς ψυχῆς ἐπιεικές τε καὶ κόσμιον. ἐπιεικὲς ſummi iuris eſt emendatio, æquum & bonum interpretantur. Sed æquitas hoc loco mihi magis eſſe videtur, quod Græcis eſt μεγαλοπρέπεια. quomodo etiam dicimus res aduerſas æquo animo ferre, vel etiam in ſecundis non efferri, ſed æquam mentis rationem in vtraque fortuna tenere. Et ſi κόσμιον pro moderatione poſuit, effectum pro efficiẽte poſuit. ornat enim ea maximè, vt Cicero in Offic. docuit. Et infrà moderatos, κοσμίους idem Gaza tranſtulit. nec mirum, cùm apud Platonem eadem vox ſit. Obſerua obiter huiuſmodi verborum tranſpoſitiones apud interpretem noſtrum creberrimas eſſe. ſic paulò inferius φρόνησιν καὶ παιδείαν eodem modo, & minus diſsimulanter tranſpoſuit. Cognomen.) Quid nomen, prænomen, cognomen, in Lælio diximus. De Pomponij Attici cognomine Corn. Nepos ſic ſcribit: Hoc ſpecimen prudentiæ, quòd cùm in eam ſe ciuitatem contuliſſet, quæ antiquitate, humanitate, doctrinaque præſtaret omnes, ei nunc ante alios fuerit chariſsimus. Huc ex Aſia Sylla decedens cùm veniſſet, quandiu ibi fuit, ſecum habuit Pomponium, captus adoleſcentis & humanitate & doctrina. Sic enim Græcè loquebatur, vt Athenis natus videretur: tanta autem ſuauitate ſermonis latini, vt appareret in eo natiuum quendam leporem eſſe, non aſcitum. Idem poëmata pronunciabat & græcè & latinè ſic, vt ſuprà nihil poſſet addi. Humanitatem.) παιδείαν Gaza vertit. Congruũt ea quæ Mezlerus ex Gellio annotauit. Faciũt huc quæ ſcribit Cur. Lancilotus lib 1. cap. 1. Sic infrà inhumanos ἀπαιδεύτους, & inhumanitatem ἀπαίδευτον interpretatur. Suſpicor.) Mitigat admonitionem communicatione, quæ commodiſsima admonendi ratio eſt, etiam teſte Plutarcho. Commoueri.) Mezlereus per μείωσιν extenuat, quod non perturbari dixerit. Gaza autem ἐνοχλεῖσθαι tranſtulit. Cæterùm grauius, poſitiui, nõ cõparatiui vice fungitur, per ἐπίτασιν ſpeciei. Verg. Triſtior, & lachrymis oculos ſuffuſa nitentes. Neque enim hoc agit, vt oſtendat Atticum, quàm ſe, grauius fuiſſe commotum. Quarum conſolatio.) De conſolatione ſcripſit Cicero, qui liber interiit. Nunc autem.) Repetit propoſitionem, & proponit ἀδικώτερον. Conciliat autem propoſitione attentionem, & eò maiorem, quòd ad Atticũ peculiariter pertineat. Deinde id docilitatis eſt, cùm non fabuloſas, ſed magna grauitate perſonas loquentes fecerit. Neque enim hæc præfatiuncula quicquam habet, quàm quòd præparat lectoris animum, id quod exordij munus propriũ eſt. Hoc enim onere.) Ratio à ſua & Attici ætate & perſona. Et ſi te.) Alia correctio, qua rationem mitigat. Vterque noſtrũm.) τὰ καὶ τῶν φίλων κοινά. Mihi quid.) Attentionis locus ab effectu. Nunquam igitur.) Tranſlatio per enthymema. Cui qui pareat.) Enthymematis antecedens. Non Tithono.) Laomedontis filio, qui quia aſtronomiæ peritus fuit, ab Aurora adamatus, inque cœlum ab ea ſublatus, & illius ſucco perunctus fingitur. atque ob id ad tantam vſque ſenectutem perue-

nisse, vt tandem vitæ tædio petiuerit in cicadam conuerti. Hoc autem nomine stultior, quia non immortalitatem vnà cum senectute petiuerit. Hinc natum prouerbium, τιθώνε γῆρας, sicut senectus Nestorea. Fabula, fabulæque μυθολογία est apud commẽtatores Hom. Iliad. λ. & Od. ε. Seruium Aen. 4. Hyginum Fab. cap. 210. Boccat. lib. 4. cap. 27. Item lib. 6. cap. 10.

Qui maiorem autoritatem) Genus enim hoc sermonum positum in hominum veterũ autoritate, & eorum illustrium, plus nescio quo pacto videtur habere grauitatis: Cicero in Lælio. *Aristo Chius.)* Huius meminit aliquoties Laërtius. fuit enim & alius Aristo tempore Ciceronis, vt ex 5. Tusc. patet. Platonis quoque parenti Aristonis nomen fuit, vt ipse in Apologia testatur. *Fecimus admirantes.)* Senile πρέπον expreßit. Sunt enim gloriæ plerunque amantes. & Præsertim de Catone Plutarchus scribit, quod immodicus laudum suarum buecinator fuerit. eò libentius admirationem admittit. *Facilè senectutem ferat.)* Metaphora sumpta à vino, quod tum bene ætatẽ fert, cùm temporis tractu nec fugit, nec acescit. De hoc in Lælio annotauimus. Theod latinismũ expreßit, ὅτι ῥᾳδίως αὐτὸς φέρει τὸ γῆρας. Sed est etiam apud Platonem, vt Cicero magis græcismum videatur in Latium transduxisse.

Qui si eruditius.) Occupatio, ne videatur personæ decorum negligere. De Catonis dicendi genere non modò diuersi diuersa, sed iidem tradunt non eadem: Ciceronem dico, Quintilianũ, & Plutarchum, qui eum nunc Atticum Romanum, nunc Romanum Demosthenem, nunc summum oratorem appellitant, & orationem eius omnibus eloquentiæ instrumentis instructam affirmant, neque quicquam ex ea immutandum censent. Atque iidem ipsi eloquentiæ censores nunc pueris huius lectioni, nunc oratoribus huius imitationi interdicunt, eique tum horriditatis, tum duritiei diem dicunt: Stoicam item ariditatem subinde calumniantur: nunc Tuburcinabundos & Lurcabundos, nunc Dice & face obiectitant. Temporum tibi diuersitas isthæc, non iudiciorum est. Nam si Catonis seculum, quo scripsit, respicias, nihil absolutius, ne compositione quidem ipsius fuit: de qua tamen postea perfecta Ciceronis ætas multa elimauit, & cæteris oratoriæ virtutibus excoluit. Cicero eum suo quodam modo, & Academicè magis quàm Stoicè loquentem fecit. obseruauit tamen in eo grauitatis decorum, quo eam Romanis opinionem conciliauit, quòd sermonem suum ex pectore proferre crederetur, cùm Græcis suus in labiis nascatur. *Eruditius.)* Theod. πολυμαθέστερον, sicut Gellius ἀμαθέστερον καὶ ἀφελέστερον dixit, id est, rudius ac planius. *Quàm in suis ipsius libris.)* de re Rustica, qui etiamnum extant. *Græcis literis.)* De hoc inferius. Habes hinc argumentum, nullam eruditionis partem constare, quam nõ græcæ linguæ cognitio absoluerit. *De senectute sententiam.)* διάνοιαν Theod. transtulit, quam veteres, quod animo sensissent, vocauerunt. Vide Fabium lib. 8 cap. 5.

P. SCIPIO, C. LAELIVS, M. CATO.

SAEpenumero admirari soleo cum hoc C. Lælio, cùm cæterarum rerum tuam excellentem, M. Cato, perfectamque sapientiam, tum vel maximè, quòd Senectutem nunquam tibi grauem esse senserim, quæ plerisque senibus sic odiosa est, vt onus se AEtna grauius dicant sustinere. CATO. Rem haud sanè Scipio & Læli difficilem admirari videmini. Quibus enim

nihil opis est in ipsis ad bene beateq; viuendum, iis omnis grauis est ætas. Qui autem omnia bona à seipsis petunt, iis nihil potest malum videri, quod naturæ necessitas afferat. Quo in genere in primis est senectus: quã vt adipiscantur omnes optant, eandem accusant adepti. Tanta est inconstantia, stultitia, atque peruersitas. Obrepere aiunt eam citius quàm putassent. Primùm, quis coëgit eos falsum putare? quî enim citius adolescẽtiæ senectus, quàm pueritiæ adolescentia obrepit? Deinde, qui minus grauis esset iis senectus, si octingentesimum annum agerent, quàm octogesimum? Præterita enim ætas, quanuis longa, cùm effluxisset, nulla consolatione permulcere posset stultam senectutem. Quocirca si sapientiam meã admirari soletis (quæ vtinam digna esset opinione vestra, nostroque cognomine) in hoc sumus sapiẽtes, quòd naturam optimam ducem tanquam deum sequimur, eique paremus: à qua non verisimile est, cùm cæteræ partes ætatis bene descriptæ sint, extremum actum tanquam ab inerti poëta esse neglectum. Sed tamen necesse fuit aliquod esse extremum, & tanquam in arborum baccis terræq; frugibus, maturitate tẽpestiua, quasi viẽtum & caducum: quod ferendum est molliter sapienti. Quid enim est aliud gigantum modò bellare cum diis, nisi naturæ repugnare?

Cato sapiens dicebatur.

Quid sit gigantes cum diis bellare.

ERASMVS. Adeptam.) Dixit paßiuè, quod tamẽ inuẽtu rarius est. Tanquam deum sequimur.) Allusit ad prouerbium θεῷ ἕπου. vnde θεομαχεῖν dicuntur, qui naturæ repugnant. Quasi victum & caducum.) sic habetur in plerisque codicibus, legendum autem vietum atque caducum. Nam flaccidum & vigore carens, vietum dicitur.

BETVLEIVS. Dialogus.) Qui de ratione studiorum hodie diligentius præcipiunt, à præceptore cum primis requirunt argumenti expositionem, vt res ipsa paucis vniuersa cognoscatur. id tum maximè fit, cùm ostenditur genus causæ, adeóque orationis status. Dicenda quædam sunt, antequam eò perueniamus. Primùm, inquam, non ignorare auditor debet, quæstiones esse aut infinitas, aut finitas. hic autem sermo quæstionis infinitæ, vel, vt alij vocant, vniuersalibus philosophiæ conueniens, quam θέσιν Græci vocant: quæ remotis personis, temporibus, locis, & similibus, in alteram partem dicitur. hanc in πολιτικὴν & θεωρητικὴν: quarum hæc in cogitationibus occupata est, illa virtutem, quæ in actione consistit, subiectum habet. quò nostra hæc referenda est tota. Finitam, quam ὑπόθεσιν nominant, in præsentiarum missam facimus, quæ circunstantiarum complexu singularibus inseruit. Causa verò, quòd intemperantium incusationem, vel, si mauis, criminationem infringit, ad iudiciale genus proximè accedit. Aspersa plerisque locis sunt ἐπιδεικτικὰ, id quod iudiciale eum consultatorio commune habet. Status causæ translatitius est. Intemperantium criminatio senectutem

molestiæ insimulat, qualitatis hæc quæstio est: crimen Cato à senectute in mores per translationem reiicit. His ita cognitis, argumenti explicatio ex distributione facilè patet. Intēperantes senectutem de quatuor falsò apud vulgus deferunt:

I.	Quòd à rebus gerendis abstrahat.
II.	Quod vires corporis auferat.
III.	Quod careat voluptatibus.
IIII.	Quod propter appropinquationem mortis misera sit.

Quæ ordine sic diluit Cato, vt contrarium statuat. Illud confutando, illud confirmando fieri solet. Confutationis, quæ ἀνασκευὴ Græcis vocatur, officia sunt:

φησάντων διαβολὴ,	Asserentium calumnia.
πράγματος ἔκθεσις,	Rei expositio.

κεφάλαια, quibus confutatio conficitur.

ἀσαφὲς,	Obscurum.
ἀπίθανον,	Incredibile.
ἀδύνατον,	Impoßibile.
ἀνακόλουθον,	Inconsequens.
ἀπρεπὲς,	Contra decorum.
ἀσύμφορον,	Inutile.

τῆς κατασκευῆς, id est, confirmationis officia.

εὐφημία φήσαντος,	Asserentis laus.
πράγματος ἔκθεσις,	Expositio rei.

Contraria superioribus capita.

σαφὲς,	Manifestum.
πιθανὸν,	Probabile.
δυνατὸν,	Poßibile.
ἀκόλουθον,	Consequens.
πρέπον,	Decorum.
σύμφορον,	Vtile.

Hæc ferè ex Aphthonio rhetore suis locis obseruabimus. Est porrò quod in limine obseruatū volo Rhetores Ethopœiæ τὴν εἰδωλοποιΐαν speciē subiiciunt. Ea personas habet fictitias quidem illas, non tamen prorsus, sed quæ olim vixerint: vt Cato hic, & de Amicitia Lælius: in libris de Oratore, Crassus, Antonius, & alij. quem morē ex Socraticis dialogis manasse, & à Cicerone vnà cum philosophia ad Latinos translatum fuisse, suprà diximus. Differt à prosopopœia & ethopœia specie: quarum altera & mores & personas etiam incorporeas fingit, vt Cicero patriæ: altera, quæ personis uel fabulosis, vel vera historia memoratis, & mores, & sermones affingit. huc tā comœdiæ quàm tragœdiæ pertinent, huius monetæ & Thucydidis orationes sunt. In hoc genere ex professo lusit Libanius, vt quidnam dixerint Græcorum legati Helenam repetentes, &c. Ostendimus ferè, quæ ad explicationē argumenti pertinent. Artificium restat, in quo ostendendo citra superstitionem immorabimur. Reliqua præceptoris officia sunt, consuetudo, leges, historiarū explicatio, deinde vocum expositio: & in hac quantum quæque virtutis ponderis've habeat, ostensio. quibus adde imitationē, in qua Mezlerus nequaquam perfunctoriam operam impendit. In his singulis & diligentiam & fidē meam vobis dilecti pueri stipulor. Porrò Theodori versionem ideo conferemus, vt græcarum literarum tyrones videatis, quātum referat cuiusque linguæ idiomata probè obseruasse. Deprehendemus itē (id quod vix quisquam, nisi periculum fecerit, credet) plurimum lucis autori

ex ea lingua accessisse, vnde ipse suam philosophiam hausit, eius præsertim viri opera, quo non alius id melius præstare potuit. Collata enim translatione, videbitu quid diuersum quæque lingua habeat, quid commune. Et quia Cato Attici Romani personam gerit, videas Theodorum de industria ἀττικώτερον esse. Sæpenumero.) Orditur ab effectu, & admiratione.

Cum cæterarum.) Distributio. Perfectamque sapientiam.) Non vt vulgus, sed vt eruditi solent sapientem appellare. Cicero in Lælio. Tum vel maximé.) Propositio exordij, nata ex occasione dialogi. Quæ plerisque.) Amplificat propositionē ab antithesi. Aetna grauius.) Hyperbole prouerbialis. Vide prouerbium Aetna, Athon. De Aetna monte Vergilius iustum & singulare edidit carmen. Vide de Aetna Pindarū Ode 4. Olymp. Ode prima Pyth. Verg. 3. Aeneid. Gellium lib 17. cap. 10. Macrob. lib. 5. cap. 27. Claudianū lib. 1. de Raptu. Sillium lib. 14. Lucret. lib. 9. Strabon. lib. 6. Pomponium Melam in descript. Siciliæ lib. 2. Plinium lib. 2. cap. 106. lib 3. cap. 8. Solinum cap. 11. Oros. lib. 5. cap. 12. August. de Ciuit. lib: 3. in fine. Iustinum in principio quarti libri. Quibus nihil opis in ipsis.) In Amicitia, ex Epicteto Stoico diximus, quidnam rerum in nobis sit, quid extra nos. Sacrosanctum hoc Stoicis dogma est: nihil miserum esse quod sit cum honestate coniunctum: nec cum miseriæ obnoxium, qui sit sapiētia imbutus. Et contrá: Omnes stultos miseros, vt in Paradoxis fusim.

Qui autem.) Contrarium. Quo in genere.) τὸ κρινόμενον. Nam ἄπορον est: Quicquid naturæ necessitas affert, æqui bonique consulendum esse: natura siquidem senectutem affert, &c. Quam vt adipiscantur.) Gradationis exemplum. Quod apud Theodorum clarius apparet. ὃ κτήσασθαι μὲν εὔχονται πάντες ἄνθρωποι, κτησάμενοι δὲ τοῦτο πάλιν αὐτὸ αἰτιῶνται. Videtur autem Theodorus legisse adepti, quo loco Adeptam vulgata lectio habet. Obserua porrò in græco τῆς προσωνομίας venustatem, in verbis αἰτοῦσι & αἰτιῶνται. Tanta est.) ἐπιφώνημα. Quis coēgit.) Turpe siquidem dicere, non putaram. Est autem τῶν φησαύτων διαβολὴ, per μίμησιν, cū expositione rei. ἀνάλυσις autem ex putandi verbo captata est. Acuti enim homines, non locos modò, vnde aduersariorum argumēta petita sunt, obseruant, sed voculas adeò aucupantur. Theod. cogit in præsenti legisse videtur. βιάζεται enim translatio habet. Obrepere.) Ouidius Fastorum primo:

Labitur occultè, fallitque volatilis ætas,
 Et nihil est annis velocius.- Item lib. Fast. 6.
Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis,
 Et fugiunt fræno non remorante dies. Item lib. de Arte amandi 3.
-Eunt anni more fluentis aquæ.
Nec quæ præterit cursu reuocabitur vnda:
 Nec quæ præterit, hora redire potest,
Vtendum est ætate, citò pede labitur ætas:
 Nec bona tam sequitur, quàm bona prima fuit.
 Atque rursus idem alibi:
Labitur occultè, fallitque volatilis ætas,
 Et celer admissis labitur annus equis.
Ausonius: Senescimus, effugit ætas,
-Obrepsit non intellecta senectus.

Qui enim citius.) ἀδύνατον per gradationem. Deinde qui minus.) ἀπίθανον. Stultam senectutem.) Continens pro contento, per metonymiam. Theod. γερόντα εὐήθη, id est, stultam senectutem. Nā vt viro sapienti omnis ætas grauis, ita stulto omnis ætas grauis. Quocirca sapientiam meam.) Lælius de Amicitia, Catonis sapientiam suæ pari modestia prætu-

lit: imò Socrati Apollinis iudicio sapientißimo, anteposuit, quod illius tantum præclarè dicta, huius etiam egregiè facta laudarentur. Cato autem extenuatione modesta laudem sapiētiæ à se remouet. Nostroque cognomine.) Plutarchus in Catonis vita: ἐκαλεῖτο δὲ τῷ τρίτῳ τῶν ὀνομάτων πρότερον, οὐ κάτων, ἀλλὰ πρίσκος, ὕστερον δὲ τὸν κάτωνα τῆς δυνάμεως ἐπώνυμον ἔσχε. ῥωμαῖοι γὰρ τὸν ἔμπειρον κάτωνα ὀνομάζουσι. Nata ex Catonum Censorij & Vticensis graui sapientia prouerbialis ἀντονομασίᾳ, in homines vehementer catos. Ita Pomponius Sabinum iureconsultum sui temporis Catonem appellauit. l. 2. ff. de orig. iuris. Et obserua, quòd Plutarchus tertium nomen ἐπώνυμον vocat, quod Cicero cognomen, contra communem grammatistarum opinionem, de quo nonnihil in Lælio annotauimus. In hoc sumus sapientes.) Vocem sapientiæ latius patentem, arctius constringit. Naturam optimā ducem.) Quam sequentibus omnia expedita succedūt. Seneca lib. Epist. 22. Epist. 122. Tanquam deum.) Humanum enim, non diuinum est, errare. Et Plinius lib. 2. cap. 1. Naturam deū facit. Cicero de Finib. 3. commemorat inter præcepta veterum sapientum, qui iubent tempori parêre, & sequi deum, & se noscere, & nihil nimis. Vide Erasmum in Prouerb. Deum sequere. Extremum actum.) Actus ab agendo Latinis, vt Græcis δρᾶμα ἀ δρᾷν, eo quòd οἱ δρῶντες μιμοῦνται, id est, actores rem veram imitando effingunt, vt Aristoteles in Poëtica docet. Vide præterea quæ scribit Erasmus in prouerb. Supremum fabulæ actum agere.

Baccis terræque.) Decorum pulchrè obseruatum est, vt similitudinibus, allusionibusq; ludat, à re rustica desumptis, vt qui eius rei peritißimus sicut inferius quoque eleganti παρέκβασιν in agriculturæ encomiū digressurus est. Arborum baccis.) Theodorus arboris nomen omisit, ad iureconsultorū fortè interpretationem respiciens. Nam Caius in l. qui venenū. § glandis. ff de verb sig. Glandis, inquit, appellatione, omnis fructus continetur, vt Iabolenus ait, exemplo græci sermonis, apud quos omnes arborum species appellantur ἀκρόδρυα. Consentit Vlp. de glande legenda, Dig. lib. 43. vbi ex Prætoris edicto glandis lectionem in tertium vsque diem permittit. ἀκρόδρυα dicuntur ἀπὸ τῆς δρυὸς, id est, robore, quod & ipsum glandiferum est. Vnde eodem sensu [illegible] omnes arborei fructus dicuntur. Propriè autem ἀκρόδρυα à Græcis appellantur, quæ in ambitu lignosum putamen habent, id est, τὰ τὸ ξυλῶδες ἔξω ἔχοντα, καὶ περὶ τὰ ἄκρα, καὶ τὸ τρώξιμον ἔντος, quod genus appellatione nucum apud Latinos continetur, id est, τὰ καρυηρὰ, vt nuces, castaneæ, pistacia, malū punicum, & si qua sunt similia. Contrà autem, quæ poma dicimus, vt sunt cydonia, malaque reliqua, pruna, cerasa, & similia, à Græcis ὀπῶραι dicuntur, sing. numero. Hæc ferè Bud. & Alciat. Obserua obiter latentem ratiocinationem, in qua vtraque propositio allusione vestitur, in hunc ferè modum.

Qui naturam ducem sequitur, sapiens habetur:
Qui naturam sequitur, ætatem bene fert:
Ego igitur ætatem bene ferens, sapiens habeor.

Expreßit Catonis Stoici περίττον. nam conclusionis huius causa, id est, maior propositio, Stoicorum dogma est, qui congruenter naturæ viuere, cùm id sit in sapiente situm, finem bonorū statuunt. Cic. Tusc. quæst. lib. 5 & in finib. 2. Maturitate tēpestiua.) P. Nigidius apud Gel. lib. 10. ca. 11. Maturè, inquit, est quod neque citius est, nec serius, sed mediū quiddam & tēperatum est. Bene atque propriè Nigidius, censore Gellio. nam, inquit, & in frugibus, & in pomis matura dicuntur, quæ neque cruda & immitia sunt, neque caduca & decocta, sed tempore suo adulta, maturataque. Quoniam autem id quod non segniter, sed quod festinantius fit, id fieri maturè dicitur, progressa plurimum significatio est: & non iam quod non segnius, sed quod festinantius fit, id fieri maturè dicitur. quando ea quæ præter sui temporis modum pro-

perata sunt, immatura verius dicuntur. Illud verò Nigidianum, rei atque verbi temperamentum, diuus Augustus duobus græcis verbis elegantißimè exprimebat nam & dicere in sermonibus, & scribere in epistolis solitum esse aiunt, σπεῦδε βραδέως. Per quod monebat, vt ad rem agendam, simul adhiberetur & industriæ celeritas, & diligentiæ tarditas: ex quibus duobus contrariis fit maturitas. Quid enim est aliud.) Maior, amplificatur allegoria. Gigantum more bellare cum diis.) Cum diis pugnare, θεομαχεῖν, prouerbium est apud Erasmũ, in eos qui naturæ repugnant. Item aliud, Cum diis non pugnandum. Gigantomachiam scripserunt Hesiod. in Theogonia, Verg. 1 Georg Ouid. 1. & 5. Metamor. & Claudianus opus non absolutum reliquit. Multa sunt apud Boccat. lib. 4. cap. 1. & cap. 68. Mythologiam fabulæ Macrob. lib. Sat. 1. cap. 20 refert his verbis: Gigantes autem quid aliud fuisse credendũ est, quam hominum quandam impiam gentem, deos negantem. & ideo existimatam deos pellere de cœlesti sede voluisse. Horum pedes in draconũ volumina desinebant, quod significat, nihil eorum rectum, nihil superum cogitasse, totius vitæ eorum gressu atque processu in inferna mergente. Vadianus Heluetiorum decus, in nobili illo quem in Melam scripsit commentario, fabulam ad Physica refert. Non sunt, inquit, aliud Gigantes, quàm spiritus illi terra clausi, qui dum exitum non inueniunt, vi sibi viam faciunt, montibus altißimis adeò persæpe concußis, vt rumpantur, aut ingentia frusta emittant contra Iouem, id est, cœlum versus, qui fulmine sæuius, a quo impetu iacere obuia solet, &c.

ex quibus fiat maturitas

vadiani doctissimi locus

L AE L I V S. Atqui Cato, gratißimum nobis (vt etiam pro Scipione pollicear) feceris, si, quoniam volumus, speramus quidem senes fieri, ante multò à te didicerimus, quibus facillimè rationibus ingrauescentem ætatem ferre poßimus. C A T O. Faciam verò Læli, præsertim si vtrique vestrum gratum, vt dicis, futurũ est. L AE L I V S. Volumus sanè, nisi molestum est, Cato, tanquam aliquam viam longam confeceris, quam nobis quoque ingrediendum sit, istuc quò peruenisti, videre quale sit. C A T O. Faciam vt potero Læli. Sæpe enim interfui querelis meorum æqualium (Pares autem cum paribus, veteri prouerbio, facillimè congregantur) quæ C. Salinator, quæ Sp. Albanus, homines consulares, nostri ferè æquales deplorare solebant: tum quòd voluptatibus carerent, sine quibus vitam nullam putarent: tum quòd sperneretur ab iis à quibus essent coli soliti. Qui mihi non videbantur accusare, quòd esset accusandum. Nam si id culpa senectutis accideret, eadem mihi vsu euenirent, reliquisq; omnibus maioribus natu: quorum ego multorum cognoui senectutem sine querela, qui se à libidinum vinculis laxatos esse non molestè ferrent, nec à suis despicerentur. Sed omnium istiusmodi querelarum in mori-

Prouerbium.

bus est culpa, non in ætate. Moderati enim & nec difficiles, nec inhumani senes, tolerabilem agunt senectutem. Importunitas autem & inhumanitas, non ætati molesta est. LAELIVS. Est, vt dicis, Cato, Sed fortasse dixerit quispiam, tibi propter opes & copias, & dignitatem tuam, tolerabilem senectutem videri: id autē non posse multis contingere. CATO. Est istud quidem Læli aliquid, sed nequaquam in isto sunt omnia: vt Themistocles fertur Seriphio cuidam iurgio respondisse, cùm ille dixisset, non eum sua sed patriæ gloria splendorem assecutum: Nec hercle inquit, si ego Seriphius essem, nobilis: nec tu si Atheniensis esses, clarus vnquam fuisses. Quod eodem modo de senectute potest dici. Nec enim in summa inopia lenis esse senectus potest, ne sapienti quidem, nec insipienti: etiā in summa copia non grauis.

In morib. est culpa, non in ætate.

Themistoclis responsio ad Seriphum quendam.

ERASMVS. *Speramus quidem senes fieri.) Nouum est speramus fieri. Propter opes & copias.) Nouum est copias vsurpari non pro exercitu, sed pro diuitiis. Constat hunc locum deprauatè legi in omnibus vulgatis exemplaribus, excepta proxima editione, quàm multò castigatiorem debemus eruditissimo viro Baptistæ Egnatio. At vt ille legit, ita vertit Theodorus Gaza,* οὔτ' ἂν εἰ ἐγὼ σερίφιος ἦν, ἔνδοξος ἂν ἐτύγχανον οὔτε εἰ σὺ ἀθηναῖος ὀνομαστός ποτε ἂν ἐγένου. *Ac rectè quidem Theod. sed aliquanto cōmodius extulit Plutarchus in Apophthegmatis,* ἀλλ' οὔτ' ἂν ἐγὼ σερίφιος ὢν ἐγενόμην ἔνδοξος. οὔτε σὺ ἀθηναῖος. *Mihi magis placeret, vt pro nobilis legeretur ignobilis, hoc sensu, Neque ego si Seriphius essem, ignobilis essem: neque &c. quòd sua ipsius virtute homo nobilitetur, non patriæ splendore.*

BETVLEIVS. *Atqui Cato.) Hactenus* γενικώτερον *senectutem, cùm sit secūdum naturam, non rectè criminari. Nunc Lælius ad specialia contendit, vt Cato edoceat, quomodo senectus æquo animo ferenda sit. quæ res sequentis disputationis occasio est. Pro Scipione pollicear.) Modesta occupatio est. Sic de Amicitia Scæuolæ: Pro hac enim, inquit, qui minor est natu, meo iure respondeo. Faciam verò Læli.) Annuentis est. Cicero in Finibus: Vtrum igitur percurri omnem disciplinam placet? tuo verò id arbitratu. Idem in 5. Tuscul. quæst. Quid igitur contra Brutum me dicturum putas? Att. Tu verò vt videtur, nam præsiture non est meum. Vbi Budæus,* μέντοι *reddit. Theod. hic,* ποιήσω γε δή. *Sic Linacer,* ἔγωγε, *quod apud Ciceronem alibi est Ego verò, hac ipsa videlicet annuendi significatione. & apud Terent. Laudas eos qui heros fallunt? Respondet seruus, Ego verò laudo. Tribuit autem Catoni facilitatem, vt seni, & est decorum. Volumus sanè.) Sunt verba Socratis ad Cephalum Atheniensium oratorem, dialogo de Repub. primo, vnde tota huius sermonis ratio desumpta est.* καὶ μὴν, ἦν δ' ἐγὼ, ὦ κέφαλε, χαίρω διαλεγόμενος τοῖς σφόδρα πρεσβύταις. δοκεῖ γάρ μοι χρῆναι παρ' αὐτῶν πυνθάνεσθαι, ὥσπερ τινὰ ὁδὸν προεληλυθότων, ἣν καὶ ἡμᾶς ἴσως δεήσει πορεύεσθαι, ποία τίς ἐστιν τραχεῖα καὶ χαλεπὴ, ἢ ῥαδία καὶ εὔπορος. καὶ δὴ καὶ σοῦ ἡδέως ἂν πυθοίμην, ὅ, τι σοι φαίνεται τοῦτο, ἐπειδὴ ἐνταῦθα ἤδη εἶ τῆς ἡλικίας, ὃ δὴ ἐπὶ γή-

ραος οὐδῷ φασιν εἶναι οἱ ποιηταί, πότερον χαλεπὸν τοῦ βίου, ἢ πῶς σὺ αὐτὸ ἐξαγγέλλεις; Pares cum paribus.) Vide prouerb. Aequalis aequalem delectat. de quo plura in Laelio. Paroemia, quam à Platone hic omissam diximus, à Theodoro ex alio Platonis loco, nempe Symposio, mutuò sumpta est. ὁ γὰρ παλαιὸς λόγος εὖ ἔχει, ὡς ὅμοιον ὁμοίῳ ἀεὶ πελάζει. Item in Lysia, ἀεί τοι τὸν ὅμοιον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὅμοιον. Et de Repub. 4. τὸ οὐκ ἀεὶ τὸ ὅμοιον ὄν, ὅμοιον παρακαλεῖ & alibi saepius. Aequales Graecis ὁμήλικες, sicut ὁμηλικία aequalitas. Theodorus ἡλικιώτας habet. Plato periphrasi παραπλησίαν ἡλικίαν ἔχοντας. Et rectè. Nam licet adolescentes seniores summo studio colant, & senes in adolescentum amore acquiescant, aequales tamen aequalibus magis congruunt. Neque est quod arctum amicitiae vinculum imagineris, quod non aetatis, sed morum similitudo contrahit, maximè inter eos quos dispares fuisse vides, Catonem videlicet, & Laelium, Scipionemque. Constat enim ex Plutarcho, Catonem neminem in amicitiam recepisse, qui palato melius quàm corde saperet. C. Salinator.) Mezlerus hîc colligit, Catonem his non minorem fuisse. Quibus id argumentis faciat, non video. Cato siquidem L. Valerij Flacci in consulatu collega fuit, anno ab Vrbe cõd DLIX. Et deinde in censura anno DLXII. Liuius lib. 3. Decad. 4. C. verò Liuius Salinator cum M. Valerio Messala Cos fuit, anno DLXVI. De quo Liuius lib. 8. eiusdem Decadis. Atque rursus in eadem Decade, libro 9. legimus de Sp. Posthumij Albini consulatu, qui anno DLXVIII. cum Qu. Martio Philippo Cos. fuit. Cato ergo maior, nõ minor natu illis fuit. Coli) Theodorus habet διακονεῖσθαι καὶ θεραπεύεσθαι. quorum alterum seruorum est, alterum vxoris & liberorum, quos Plato in genere τοὺς οἰκείους appellauit. Nam si id culpa.) Syllogismo expositorio crimen à senectute in mores transfert, hoc ferè modo: Ego sum in exacta aetate constitutus, ego nullas molestias sentio: ergo exacta aetas molestiis etiam caret. Est autem argumẽtum à coniugatis ductum. Senex caret molestiis, ergo senectus quoque. Et est fallacia secundũ non causam, vt causam. Nam senectus quae per se morbus est, non caret molestia: ergo nec senex. Cognoui querelam.) Alludit ad Sophoclis responsum, de quo infrà in tertiae criminationis dilutione, quod hoc loco (vt suprà ostendimus) Plato inserit. ait enim ibi Cephalus, se Sophoclem non modò cognouisse, sed fuisse quoque cum eo. Moderati enim.) κόσμιοι.

Sed omnium istiusmodi.) Veram causam istorum incommodorum citat, idque rursus Platonis verbis, ἀλλὰ καὶ τούτων πέρι, καὶ τῶν πρὸς τοὺς οἰκείους, μία τις αἰτία ἐστίν, οὐ τὸ γῆρας ὦ Σώκρατες, ἀλλ᾽ ὁ τρόπος τῶν ἀνθρώπων. ἂν μὲν γὰρ κόσμιοι καὶ εὔκολοι ὦσι, καὶ τὸ γῆρας μετρίως ἐστὶν ἐπίπονον. εἰ δὲ μή, καὶ γῆρας ὦ Σώκρατες, καὶ νεότης τῷ τοιούτῳ ξυμβαίνει. Importunitas.) Quod oneri est, quodque nec in loco, nec in tempore fit. Hinc φορτικὸν Gaza melius quàm ἀκαιρίαν transtulit, quae temporis solummodo neglectum significat. Importunitatis characteres vide apud Theophrastum. Cicero hoc loco Platonẽ vbertate superauit. Tibi propter opes.) Socrates illic Cephalo ait se (quod à vulgo obiici poterat) obiicere, nempe eum propter diuitias bene aetatem ferre. Honestius hoc per Laelium obiicitur, quàm si ipse per occupationem obuiam obiectioni venisset. Sic inquit, ὦ Κέφαλε, οἶμαί σου τοὺς πολλούς, ὅταν ταῦτα λέγῃς, οὐκ ἀποδέχεσθαι, ἀλλ᾽ ἡγεῖσθαί σε ῥᾳδίως τὸ γῆρας φέρειν, οὐ διὰ τὸν τρόπον, ἀλλὰ διὰ τὸ πολλὴν οὐσίαν κεκτῆσθαι. τοῖς γὰρ πλουσίοις πολλὰ παραμύθιά φασιν εἶναι. Et facit Cephalum eadem responsitare, quae respondet apud nostrum Cato, concessione videlicet, qua infert alia deinde: ἀληθῆ, ἔφη, λέγεις. οὐ γὰρ ἀποδέχονται καὶ λέγουσι μέν τι, οὐ μέντοι γε ὅσον οἴονται. Sed quibus quaeso diuitiis inniti Cato potuit, qui tanta paupertate pressus fuit, (si Floro credimus) vt Praetor filio funus tenuissimo sumptu fecerit: nec sanè eius apud Plutarchum amplae opes memorantur, praeterquàm quòd frugali parsimonia est vsus, quae ingentis illi vectigalis loco fuit. Cephalus de suis ipsius diuitiis reddit rationem, nempe sat se

importunitas.

habere, si paternam hæreditatem nō minuat, sed augeat potius aliquantulum. Fuit autem Cephalus, vt ex eodem dialogo colligitur, Lysaniæ filius, Euthydemi Lysiæ & Polemarchi pater. Suidas ait eum fuisse Athenis δημαγωγεῖν, primumque parœmias & epilogos fecisse.

Seriphio cuidam.) Contēptus à loco, vt ille in Andria Terent. Heu vereor'ne quid Andria apportet mali. Sicut etiam Myconij multa ignominiæ prouerbia fecerunt. Sunt enim hæ inter Cycladas insulæ, ob hoc ipsum, quia abiectæ, apud autores celebriores. Et annotauit apud Melam Vadianus, Sporades (quas scriptores aliquoties cum Cycladibus confundunt) non nisi infamiam ac criminosorum relegationibus insigniores factas, quando illi indigni mortalium consuetudine iudicati, in has abdebantur. Præter cæteras memoratur Seriphos, vt apud Iuuenalem Satyra 10. Vt Gyari clausus scopulis, paruaque Seripho. Atque rursus Vistiliæ, Labeonis coniugis exemplo, quæ ob stupri licentiam in insulam Seriphon abdita fuisse legitur, apud Tacitum lib. 2. Scriptis refertur, hanc Seriphon non modò ob saxosam asperitatem, qua eam Gorgone, vt Strabo lib. 10 scribit, mulctauit, malè audire: sed etiam ob ranas prouerb. celebratas, quas domi mutas, foris vocales habeat. *Neque enim in summa inopia.) Quia iuxta paradoxon μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος.* *In summa inopia.) Theodorus ἰ χάτῃ, quasi tu dicas immani. Cuius respectu fortunam in excelso loco posuit.* *Quod eodem modo.) Enthymema à repugnantibus.*

B A L D V I N V S. Atqui, Cato, gratissimum nobis (vt etiam pro Scipione pollicear) feceris, si, quoniam volumus, speramus quidem senes fieri, &c.) in antiquis cod. legitur, quoniam speramus, volumus quidem certè senes fieri. Scipio. *Volumus sanè, nisi molestū est Cato, &c.) Lælij quàm Scipionis persona melius ex antiquis exemplaribus hic ponitur.*

Ab hoc loco vsque ad, Ego Qu. Maximum eum qui Tarentum recepit, &c. Platonis initium dialogi primi de Repub. expreßit, vbi quod de Sophocle dicitur, infrà redditur, inuenies. Sic habent verba Platonis, Καὶ μὴν ἦν δ' ἐγὼ κέφαλε χαίρω διαλεγόμενος τοῖς σφόδρα πρεσβύταις. &c. quæ sequuntur apud Plat. *Vt Themistoclē ferūt Seriphio cuidā &c. Vetusti cod. habēt, Vt Themistocles fertur.* *Nec hercle, inquit, si ego Seriphius essem, ignobilis: nec tu, Atheniēsis &c.) Lego ex antiquis cod. nobilis. præsertim quū mihi astipulentur tū Plato, à quo id mutuatus est Cicero, tū Plutarc. in apophtheg. regū & imperatorum, tū in vita ipsius Themistoclis, vbi inquit, τῷ δὲ σεριφίῳ πρὸς αὐτὸν, &c. Hoc enim sentit, patriam, ad consequendam nominis celebritatem, habere quidem aliquid momenti, sed ea sola hominem non nobilitari, nisi accesserint quædam maiora, vt in rebus gerendis eximia prudentia & fortitudo, aliaque huiusmodi.*

Aptissima omnino sunt, Scipio & Læli, arma senectutis, artes, exercitationesque virtutum, quæ in omni ætate cultæ, cùm diu multumque vixeris, mirificos afferunt fructus: non solùm quia nunquam deserunt, ne in extremo quidem tempore ætatis (quanquam id quidem maximum est) verumetiam quia cōscientia bene actæ vitæ, multorumque benefactorum recordatio, iucundissima est. Ego Q. Maximum (eum qui Tarentum recepit) adolescens ita dilexi senem, vt æqualem. Erat enim in illo viro comitate grauitas condita, nec senectus mores mutauerat: quanquam eum colere cœpi non admodum grandem natu, sed tamen iam ætate prouectum. Anno enim pòst con- *Senectutis artes.*

Capua Apuliæ ciuitas.

ſul primum fuerat, quàm ego natus ſum: cumque eo quartum conſule, adoleſcentulus miles profectus ſum ad Capuam: quinto que anno pòſt, ad Tarentum quæſtor, deinde ædilis, quadriennio pòſt factus ſum prætor, quem magiſtratum geſsi Coss. Tuditano & Cethego. Tum quidem ille admodum ſenex ſuaſor legis Cinciæ de donis & muneribus fuit. Hic & bella gerebat vt adoleſcens. cùm planè grandis eſſet, & Annibalem iuueniliter exultantem, patientia ſua molliebat: de quo præclarè ſamiliaris noſter Ennius,

Cincia lex.

nota sine addito aliquo ita positum

Cunctator Fabius.

Vnus, qui nobis cunctando reſtituit rem:
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.
Ergo poſtque magisque viri nunc gloria claret.

Fuga Salinatoris.

Tarentum verò qua vigilantia, quo conſilio recepit? Cùm quidem me audiente, ſalinatori. qui amiſſo oppido fugerat in arcem, glorianti, atque ita dicenti, Mea opera Q. Fabi Tarentum recepiſti. Certè inquit, ridens. Nam niſi tu amiſiſſes, nunquam recepiſſem. Nec verò in armis præſtantior quàm in toga: qui Coss. iterum Sp. Caruilio collega quieſcente, C. Flaminio Tribuno plebis quoad potuit reſtitit, agrum Picenum & Gallicũ viritim contra Senatus auctoritatem diuidenti: Augurq; cùm eſſet, dicere auſus eſt, optimis auſpiciis ea geri, quæ pro Reipublicæ ſalute gererentur: quæ contra Rempubicam ferrentur, contra auſpicia ferri. Multa præclara in eo viro cognoui, ſed nihil eſt admirabilius, quàm quomodo ille mortem Marci filij tulit clari viri, & conſularis. Eſt in manibus laudatio, quam cum legimus, quem philoſophum non contemnimus? Nec verò ille in luce modò, atque in oculis ciuium magnus, ſed intus, domique præſtantior. Qui ſermo? quæ præcepta? quanta notitia antiquitatis? quæ ſcientia iuris augurandi? multæ etiam, vt in homine Romano, literæ, omnia memoria tenebat, non domeſtica ſolùm, ſed etiam externa bella. Cuius ſermone ita eum cupidè fruebar, quaſi iam diuinarem, id quod euenit, illo extincto fore vnde diſcerem, neminem. Quorſum igitur hæc tam multa de Maximo? Quia profectò videtis nefas eſſe dictu, miſeram fuiſſe talem ſenectutem.

Tenere Memoria

ERASMVS. *Qui Tarentum recepit.)* Recipit qui promittit. Recipit se, qui redit vnde venerat. Recipit, cui redditur aliquid. Recipit vrbem, qui recuperat. *Ad Capuam.)* Nomini vrbis addidit præpositionem. *Quæ pro Republicæ salute fierent.)* Est ab Hectoris apophthegmate profectum εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. *Contra Rempublicam ferrentur.)* Ferri dicuntur plebiscita ac leges. Cæterùm quod sequitur, contra auspicia ferri, legendum arbitror fieri non ferri. Nos exemplaria meliora sequuti sumus.

BETVLEIVS. *Aptissima)* Alia causa, quæ senectutem tolerabilem faciat, doctrina videlicet, & virtus. *Conscientia.)* quæ iuxta prouerbium, mille testes est. *Iucundissima est.)* Nam in iucundis etiam Aristoteles numerat Rhetoricorum libro primo. Vide prouerbium apud Erasmum. *Ego quidem.)* Probat exemplo, senectutem non esse contemnendam. Et obserua obiter locos demonstratiui generis, quibus Quint. Fab. laudat.

LOCI LAVDATIONIS.

Loci epideictici, quibus in Fabio Maximo Cato vsus est.

- Nomen, Maximus, Cunctator.
- Natura
  - Patria, Homo Romanus.
  - Aetas: Omnem ætatem bene collocauit, atq; ob id senectutem bene tulit. Grandis bella gessit, vt adolescens.
- Commoda naturæ
  - Memoria: Memoria tenebat domestica & externa bella.
  - Comitas: Comitate grauitas condita.
  - Fortitudo: Annibalem patientia emolliuit, contẽpsit rumores, fortiter tulit mortem filij.
  - Prudentia: Vigilantia & consilio Tarentum recepit. Item Quæ præcepta, In toga præstans.
- Fortuna: Cos. Augur, clarissimi filij pater, in ciuium oculis magnus.
- Habitus
  - Animi: Scientia iuris augurandi, Multæ literæ, Eloquentia.
  - Corporis: In armis præstans, Militaris disciplina.
- Consilium: Salus patriæ.
- Facta: Tarentum recepit, Restitit Flaminio, Annibalem eneruauit
- Orationes: Suasit legem Cinciam, habuit orationem in funere filij. iocus in Salinatorem, Chria, optimum augurium, quod sumitur pro patria.

Qui Tarentum.) Calabriæ metropolin. de cuius situ Strabo lib. 6. Mela lib. 2. in descriptione Italiæ. Plin. lib. 3. cap. 11. Ea bello Punico secundo ad Annibalem defecit, præsidium tamen Romanorum, cuius erat dux Liuius Salinator, in arcem se recepit. Quint. Fab. Max. eam recuperauit, militibusque diripiendam tradidit. Anno ab Vrbe cond. DXLV. Lege Liuium lib. 7. Decad. 3. Silium lib. 15. Plutarch. in Fab. Max. Plin. Nouocomens. cap. 33. de Viris illust. August. de Ciuitate dei lib 1. cap. 6. *Erat enim in illo viro.)* αἰπολογία. Virtus enim amicitiæ fundamentum est. quæ allicit hominem ad diligendum, vt in Lælio dictum est. Cæte-

rùm de virtutibus Fabij, lege omnino in eius vita apud Plutarch. Comitate.) Periphrasis τῆς σεμνότητος, quæ puellis ferè à poëtis tribuitur. quo respiciens Theodorus, comitatem σεμνότητα transfert. σεμνότης, inquit, οὐ μάλα ἐκ φιλοφροσύνης ἡδυνομένη. Quanquam eum.) Occupatio. Colere.) Cui, quoniam gloria, rebus gestis, potentia, primoribus vrbis anteiret, se totum dedicauit, illius mores & vitam, velut pulcherrimum bene viuendi exemplum sibi proponens, eius vestigia ingressus est. Plutarch. in vita Catonis. Anno enim.) Ab vrbe videlicet condita DXXI. Quartum consule.) quem gessit anno ab Vrbe condita DXL. Congruit ergo non malè cum Plutarcho, qui scribit annos septem & decem natum stipendia fecisse. nec impedit decennium, intra quod, ne quis consul reficeretur, lege cautum erat: quam in suis commentariis Mezlerus ex Liuio allegat. quanquam ad eundem Fabium Maximū referunt. nam tertium consulatum, eo quòd vitio creatus erat, non gessit. Quintoque anno pòst ad Tarentum.) Plutarchus Catonis magistratus his pauculis perstringit. πολλὴν τε Οὐαλερίου τιμὴν καὶ δύναμιν αὐτῷ προστιθέντος, χιλιαρχίας ἔτυχε πρῶτον, εἶτα ἐταμίευσεν. ἐκ τούτου δὲ λαμπρὸς ὢν ἤδη, καὶ περιφανὴς, αὐτῷ τῷ Οὐαλερίῳ περὶ τὰς μεγίστας συνεξέδραμεν ἀρχὰς, ὕπατός τε μετ' ἐκείνου, καὶ πάλιν τιμητὴς γενόμενος. Fuerunt enim quidam gradus, quibus ad summam dignitatem ascendebatur. Apud Liuium lib. 9. Decad. 3. Cato in Africā Quæstor legitur, Tuditano & Cethego Coss. de quo infrá. De officio Quæstoris præter Fenestellam & Pomp. Lætum, lege Plutarchum in Publicola & Gracchis. Pomp. in l. 2. §. dein cūerarium. ff. de origine iuris. Vlp. in tit de offic. quæst. Ascon in Verrem. Gellius libro 13. cap. item 13. Alexandrum ab Alexandro lib. 2. cap. 2. item lib. 2. cap. 15. & lib. 3. cap. 16. & lib. 6. cap 3. Budæum in Digest. Aedilis.) Plutarch. in Mario. Liuius lib. 4. ab Vrbe cond. Victruuius in præfat. lib. 10. Alexander ab Alexandro lib. 4. cap. 4. cap. 1. lib. 6. Bud in Pādectis. Theod. ἀστυνόμον vertit Plutarchus, & alij munus Aedilitium ἀγορανομίαν, Aedilem ἀγορανόμον appellant. Prætor.) Præter Fenestellam & Lætū, ex antiquis autorū monumentis de prætura, præ cæteris notatu digna collegerunt Budæus in Annotat. in Pandect. & Alexander ab Alexandro lib. 2. cap. 25. De Magistratibus Rom. scripsit etiam Alciatus. Tuditano & Cethego consulib.) Anno ab Vrbe cond. DL. apud Liuium lib. 9. tertiæ Decadis. his consulibus non prætor, sed Quæstor fuisse legitur. Prætores illius anni memorantur T. Claudius Nero, M. Martius Ralla, L. Scribonius Libo, M. Pōponius Macho. Ea res Mexlero erroris suspicionem incussit, quam quibus argumentis eximam non video, maximè cùm vtranque præturam pòst gesserit. Priorem quidem, T. Quintio Flaminio, Sex. Aelio Peto Coss. anno videlicet à Cethegi & Tuditani consulatu, sexto. Numerantur ibi prætores à Liuio lib. 2. Decad. 4. L. Cor. Merula, M. Claud. Marcellus, M. Portius Cato, C. Heluius, qui ædiles fuerunt Posterioris Præturæ meminit Flor. Epit. 48. Certè Cicero secum ipse dissentit, qui in Bruto, his iisdem Coss. Catonem quæstorem, non prætorem facit. Quid quod Cato ipse inferius se quæstore Idæa sacra constituta memorat: quod Tuditano & Cethego consulibus factum, ex Liuio apparet. Lapsus ergo illic Cato memorat, id quod contingere solet illis qui rerum copia memorando obruuntur. Siue Ciceroni errorem ascribere mauis, cuiusmodi quidam à Politiano notantur. Legis Cinciæ.) M. Cincius legem tulit ad populum, qua causidicis, quos Hesiodus δωροφάγους appellat, munera ob patrocinia largiri cauit. cuius meminit idem Cicero de Orat. 2. & alludit ad hanc in oratione pro A. Cluētio. Meminit præterea Cor. Tacitus lib. 11. vbi miror beatum Rhenanum hominem in emaculandis libris alioquin vigilantissimum pro Titianō Cinciam posuisse. Miror magis quòd Alciatus eam lectionem pro genuina agnoscat: cùm Budæus & de Asse 5. & in Annotat. in Pandectas posterioribus, Taciti verba citans, Cinciam legat. Vide item Alexandrum ab Alexandro lib. Genialium die-

rum 6.cap.10. De donis & muneribus.) Consule Alciatum in l.inter donum.ff.de verb. signif. Vnus homo.) Eosdem versus citat Officiorum primo, eo capite quo docet, quatenus pericula forti viro sint suscipienda. Ex Macrobio liquet, apud Ennium in 12.extitisse. Priorẽ versum diuinitus imitatus est Verg.in 6. Vnus qui nobis cunctando restituit rem. Meminit & Liuius libro 10.Decad 3.Lege prouerb apud Erasmum, Romanus sedendo vincit. Cunctando.) quod cautior quàm promptior fuit, malè audire cœpit. de quo non modò Liuius & Plutarchus, sed Polybius quoque legendus est lib.3. & Sillius lib.6.& 7. Hinc Cunctatoris cognomen retinuit: sed quia Fabius iam diu nos in sui memoria remoratur, nemo φιλόλογος calumniabitur, si puerorum causa, in quorum gratiam hæc colligimus, de quatuor ipsius cognominibus paucula dicamus. Maximus.) Quatuor Qu.Fabij Maximi fuere. Primus fuit Rutilianus, Plutarcho ῥοῦλλος, aliis Rullus, cuius mentionem facit Liuius lib. ab Vrb 9.in fine. Alter Gurges, fortaßis Rutiliani nepos. Tertium putant Fabium Pictorem, vt noster hic sit ordine quartus (vt Plutarcho placet) quem, vt Polyb.lib.3.commemorat, Romani contra Carthaginenses dictatorem fecerunt, ἄνδρα (vt ipse inquit) καὶ φρονήσει διαφέροντα, καὶ τὴν ψυχήν τα καλῶς. ἔτι γοῦν ἐπεκαλοῦντο καὶ καθ' ἡμᾶς ταύτης τῆς οἰκίας μάξιμοι. Maximorum ait cognomen in gentile commutarunt. Qui autem gentiles sint, Alciatus docet cap.12.Parerg Hinc alia quædam cognomina habuit: Verrucosus, à verruca in labris, de quo Plutarch.ἦν δὲ αὐτῷ σωματικὸν μὲν παρωνύμιον, ὁ βερρούκωσος. εἶχε γὰρ ἀκροχορδόντα μικρὸν ἐπάνω τοῦ χείλους ἐπιπεφυκυῖαν. Atque rursus Ouicula, à clementia morum: hinc illi grauitatem comitate conditã Cicero tribuit quod clarius ex Plutarchi verbis liquet, ἐτίθη, inquit, πρὸς τὴν πραότητα, καὶ βαρύτητα καὶ τοῦ ἤθους, ἔτι παιδὸς ὄντος. In ipsa eum dicit pueritia mansuetudinem grauitati miscuisse. Cunctatoris cognomen à cunctando, vt diximus, sortitus est. Flor.lib.2.cap.6. Prima redeuntis, sed (vt sic dixerim) reuiuiscentis imperij spes Fabius fuit, qui nouam de Annibale victoriam commentus est, non velle pugnare: hinc illi cognomen nouum, & Reipublicæ salutare, Cunctator: hinc illud ex populo, vt Imperij scutum vocaretur. Salinatori.) Plutarchus μάρκιον λούκιον appellat. Cicero de Oratore 2.de iocis agens, acutum etiam illud esse ait, cùm ex alterius oratione aliud excipias, atque ille vult: vt Salinatori Maximus, cùm Tarento amisso, arcem tamen Liuius retinuisset, multaque ex ea prælia præclara fecisset, cùm aliquot post annos Maximus id oppidũ recepisset, rogaretque eum Salinator, vt meminisset opera sua se Tarẽtum recepisse, Quid ni, inquit, meminerim? Nunquam ego recepissem, nisi tu perdidisses. Liuius lib.7.Decad.3.scribit, hæc à Liuij amicis in senatu iactata fuisse. Theodori translationi paronomasiæ venustas accesit, ἀνα-βαλὼς, ἀνέβαλον. Certè inquit ridens.) Salsè & acutè, vt iam ostensum est, dictum Fabij, ex natura relatiuorum. Nec verò in armis) Parua enim sunt arma foris, vbi non est consilium domi. Hinc illud eiusdem Cicer. Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ: eadem figura pro armis & pace. & ad Attic.4. Ergo erimus ὁπλῖται, qui togati esse nolumus. Theod. τήβεννον transtulit. alij vocant etiam τήβεννον. Vide omnino Lazarum cap.9.de re Vest. Consul iterum.) An.DXXVI. Quoad potuit.) Nequicquam id quidẽ conatus, successus enim conatibus non respondit. Nam Boij, qui proximi post Seuones erant, quibus ager per superiora bella adẽptus fuerat, Romanorum ciuium vicinitatẽ molestè ferebant. rem tandem ad suam perniciem spectare putantes, reliquos Gallos ad restaurandum cõtra Romanos bellum euocant, suo tamẽ magno malo. Leonardus tamen Aretinus lib.2.bellum hoc Gallicum perstringit. Meminit eiusdem Cicero in Bruto. Augur) Plin.lib.7.Nat.hist.cap.48. quo Macrobius recenset, ait hunc LXIII. annis Augurem fuisse. Valer.cap. de Senectute LXII. Liuius autem lib.10.Decadis 3.duos & quadraginta. in eiusque locum inauguratũ

Qu. Fab. Max. filium. vnde suspicor, Liuium ea parte menda non carere. Optimis auspicis.) Theod. ἀρίστοις οἰωνοῖς suspicor eum respexisse ad prouerb. Bonis auibus. Videtur autem Erasmo, expreßisse illud Hom Iliad. μ. εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. Vide prouerb Vnum augurium, optimum augurium. Cæterùm augures, Dionysius lib. 2. Græcis οἰωνοπόλους vocari posse, scribit. Plutarchus αὔγουρας aliquoties dicit. Theod. hoc loco περιφράσει circunscribens, μάντιν ἐπ' οἰωνοῖς appellat. Cæterùm περὶ τῆς οἰωνιστικῆς, vide Platonem in Phædro. Plutarchus in Marcello, οἱ δὲ αὔγουρας ἀπέδειξαν, οὓς δ' ὄντιν ἱεροσύνης εἶδος, ᾧ μάλιστα τὴν ἀπ' οἰωνῶν μαντικὴν ἐπιβλέπειν καὶ παραφυλάττειν νόμος δέδωκεν. Vide præterea, præter Fenestellam & Lætum, etiam Ludouicũ Viuem apud August. de Ciuit. dei lib. 6. cap. 3. Alexand. ab Alexãdro. tum alibi, tum lib. 5. cap. 19. Polydorum Vrbinatem de Inuentoribus rerum lib. 1. cap. vlt. Quem philosophorum.) Figuratum interrogationis genus, quando non sciscitandi gratia assumitur, sed instãdi. in quibus etiam illud comparationis est. De quo Fab. lib. 9. Theod. palliatorum philosophorum transtulit, τῶν ἐν τρίβωνι φιλοσόφων, per contemptum. vt Herodes Atticus apud Gellium æruscanti philosopho respondit: barbam & pallium video, philosophum nondum video. In oculis.) in Lælio. Intus.) Introrsus & in pectore honestus, nõ solùm speciosus pelle decora. Redolet prouerbiale quiddam, vt illud Persianum, Intus & in cute: id est, cùm in se descenderit, non ad populum tantùm phaleras, sed intus sibi bene conscius tranquillitatem pectoris foueat. Est enim transitio ad vitam interiorem. Domique.) Domi prouerbio habere dicimur, quod in nobis sitũ est. Vide Erasmum. Qui sermo.) hunc enim & Cicero in oratoribus numerat. Vnde discerem.) Necesse est eum discendi cupidißimũ fuisse, qui, vt de eo testatur Fab. Quint. inter tot Reipub. negotia, tãtam rerum cognitionem sibi compararit. Quorsum igitur tam multa?) Accommodatio exempli ad propositionem. Et si manifesta exempla sunt, significare satis esse Quint. docet. Hoc autem in memoria hominum etiamnum erat. Quare occupatione reprehẽsionem anteuortit. Vult autem ostendere, non conditionibus modò, sed partibus quoque Maximum fuisse felicißimum: idque uelut inductione.

BALDVINVS. Quintoque anno post, ad Tarentum, quæstor, deinde Aedilis, quadriennio post factus sum Prætor, quem magistratum geßi Coß. Tuditano & Cethego.) Hæc mihi transposita videntur. Nam si rationem temporum sequamur, atque adeo Ciceronẽ ipsum in Bruto, vbi agit de Cethego, & Tit Liuium Decadis 3, lib. 9. suis locis hæc sic reponemus, quintoque anno post ad Tarentum, Quæstor, quem magistratum geßi consulibus Tuditano & Cethego, deinde Aedilis, quadriennio post factus sum Prætor. Interpungendum autem est post dictionem Tarentum. Nam tunc Quæstor non erat, cùm profectus est Tarentũ, sed quinto anno post factus est Quæstor probabile est à Cicerone scriptũ fuisse, quintoq; anno post, Quæstor, quam repetitionem scribæ non ferentes, tanquam vitiosam omiserunt. Non satis constat quo anno Aedilis fuerit. Hinc tamen colligi potest, anno à quæstura secundo, Aedilem fuisse Catonem. Nam sexto à quæstura anno Prætor fuit Sex. Aelio Pæto, & T. Quintio Flaminio Coß. vt tradit Tit. Liuius Decad. 4. lib. 2. Scribit quoque in hoc ipso dialogo ipse Cicero, Catonem bello Punico Quæstorem fuisse. Atqui Tuditanus & Cethegus ante finem belli Punici secundi Coß. fuerunt. Prætura autem Catonis fuit post finitum illud bellum. Nõ puto Ciceronẽ tam oscitanter tempora supputasse, vt hoc loco hallucinatus sit. Augurq; cùm esset, dicere ausus est optimis auspiciis ea geri, quæ pro Republicæ salute fierent: quæ cõtra Rempub. fierent, contra auspicia fieri.) In vetustis exemplaribus habetur, quæ pro Republicæ salute gererentur: quæ contrà Rempublicam ferrentur, contra auspicia ferri. Sic etiam videtur Gaza legisse.

Nec tamen omnes possunt esse Scipiones, aut Maximi, vt vrbium expugnationes, & pedestres, naualesque pugnas, vt bella à se gesta, triumphósque recordentur. Est enim quietè, & purè, & eleganter actæ ætatis, placida ac lenis senectus, qualem accepimus Platonis, qui & vno & octogesimo anno scribens, mortuus est. Qualem Isocratis, qui eum librum qui Panathenaicus inscribitur, quarto & nonagesimo anno scripsisse dicitur, vixitque quinquennium postea: cuius magister Leótinus Gorgias, centum & septem compleuit annos, neque vnquam in suo studio atque opere cessauit. Qui cum ex eo quæreretur, cur tandiu vellet esse in vita: Nihil habeo, inquit, quod accusem senectutem. Præclarum responsum, & docto homine dignum. Sua enim vitia insipientes, & suam culpam in senectutem transferunt. Quod non faciebat is, cuius modò mentionem feci, Ennius,

Sicut fortis equus, spatio qui sæpe supremo
Vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit.

Equi fortis & victoris senectuti comparat suam, quam quidē probè meminisse potestis, anno enim vndeuigesimo pôst eius mortem hi consules, T. Flaminius, & M. Attilius facti sunt: ille autem Cœpione & Philippo iterum COSS. mortuus est, (cùm ego quinque & sexaginta annos natus, legem Voconiam magna voce, & bonis lateribus suasissem) annos LXX. natus, tot enim vixit Ennius. Ita ferebat duo, quæ maxima putantur onera, paupertatem, & senectutem, vt eis penè delectari videretur.

B. ENT. MADRANVS. *Nec tamen.) Alia obiectio, à duobus vitæ generibus. de quibus Offic. 1. Confert ea Seneca de Tranquillitate vitæ lib. 1. Scipiones.) αὐτονομασία, pro prudentia fortitudineque præstantibus viris. Triumphos.) Si græca vox est, vt Perottus in Cornucopiæ inquit, miror cur Theodorus periphrasi ἐπινικίους πομπὰς verterit. Dionysius certè tropæophoram Latinis pompam appellari scribit, vbi de Triumpho Romuli loquitur. De Triumpho, lege Valerium lib. 2. Alexand. lib. 6. cap. 6. Platonis.) Consentit, imò refert D. Hieronymus de Vita clericorum. consentit Lucianus in Macrobiis. Laërtius diuersas sententias adducit, alteram Hermippi huic nostro cōsentientē, alteram Neanthis, qui lxxxiiij. annos natum defecisse scribit. Val. lib. 8. cap. de studio & indust. & Quintil. lib. 1. ca. de Musica, scribunt Platonē, cùm moreretur, Sophronis mimographi libros sub capite habuisse. vbi apud Val. Mimos, pro numeros, rectius legi censeo. Vno & octoges.) Gaza πρώτῳ καὶ*

ὀγδοηκοστῷ sicut alibi Quarto & nonagesimo anno, Gaza τετάρτῳ ἐνενηκοστῷ. Alibi centum & septem, Gaza ἑπτὰ καὶ ἑκατόν. Obseruat Bud. in Commen. Qualem Isocrates.) Platone minor natu annis 6. teste Laertio. Isocrates ipse in Panathenaico ab ætate orditur, cùm ne florente quidam ætate fabulosis argumentis luserit, multò minus se senio confectũ hoc decere. ἡγοῦμαι γὰρ (inquit) οὐχ ἁρμόττειν, οὔτε τοῖς ἔτεσι τοῖς ἐνενήκοντα καὶ τέτταρσιν, ὧν ἐγὼ τυγχάνω γεγονώς, οὐδ' ὅλως ἤδη πολιὰς ἔχουσιν. ἐκεῖνον τὸν τρόπον ἔτι λέγειν. Adscribam de re Plutarchi verba, ὀκτὼ καὶ ἐνενήκοντα ἔτη βιούς, ἢ ὥς τινες ἑκατόν, οὐχ ὑπομείνας τετράκις ἰδεῖν τὴν Ἑλλάδα καταδεδουλωμένην πρὸ ἐνιαυτοῦ, ἢ ὥς τινες πρὸ τεσσάρων ἐτῶν τῆς τελευτῆς, συγγράψας τὸν Παναθηναϊκόν, τὸν δὲ Πανηγυρικὸν ἔτεσι δέκα συνέθηκεν. οἱ δὲ δεκαπέντε λέγουσιν, ὃν μετενηνοχέναι ἐκ τοῦ Γοργίου τοῦ Λεοντίνου καὶ Λυσίου, τὸν δὲ περὶ τῆς ἀντιδόσεως δύο καὶ ὀγδοήκοντα ἔτη γεγονώς. τοὺς δὲ πρὸς Φίλιππον ὀλίγῳ πρότερον τοῦ θανάτου. De Panegyrico Lucianus in Macrobiis, Ἰσοκράτης ἐνενήκοντα καὶ ἓξ ἐτῶν γεγονώς, τὸν Πανηγυρικὸν ἔγραφε λόγον. Diuus Hieronymus ad Nepotianum XLIX annos in docendi scribendique labore compleuisse eum scribit. Ceterùm de causa mortis ferè inter scriptores conuenit, nempe quòd quum accepisset, clade ad Cheroneam accepta, patriam in Philippi seruitutem venisse, vitam suam ieiunio soluerit, annos natus centum. In hoc consentiunt etiam Philostratus & Halicarnasseus. Ex Cicerone apparet, centesimumprimum attigisse annum. Lege ad hæc Petrum Crinitum de Honesta disciplina, lib. 22. cap. 11. Panathenaicus.) De omnibus Atheniensium rebus à multis longo tempore præclarè gestis. sic enim exordio facto proponit. διαλέξομαι δὲ περὶ τῶν τῇ πόλει πεπραγμένων, καὶ περὶ τῆς τῶν προγόνων ἀρετῆς, &c. Theod. πανηγυρικὸν, memoriæ fortaßis errore (vt docti solent) lapsus. Scripsit enim & Panegyricum, quem decem, vel secundum alios quindecim annis ante obitum scripsisse, suprà ex Plutarcho annotauimus. Ceterùm Panathenæa festum Atheniensium, de quo Plutarchus in Theseo, Alexander ab Alexandro lib. 5. cap. 8. item lib. 6. cap. 19. Cæl. Rhodig. lib. 8. cap 49. Meminit Thucydides lib. 1. & 6. Certè Isocratem locupletißimum fuisse constat: vel propter discipulos, quos & multos & claros, è schola sua, veluti ex equo Troiano, testante Cicerone, emisit: vel propter orationes, ex quibus plurimum lucri fecit. quippe qui orationem de regno Nicocli Cypriorum regi viginti talentis, teste Plinio, vendidit, hoc est (vt Budæus computat) aureorum duodecim millibus. Sed an propter diuitias ætatem bene tulerit, ipse in epilogo eiusdem Panathenaici clarè indicat, vbi ostendit se, rogantibus amicis, dimidiam orationis partem, non senio solùm, quod per se morbus est, sed molestißimo morbo, improbaque maleuolorũ obtrectatione prohibentibus, magna constantia absoluisse: cùm plerique adolescentum aggredi quicquam honestum, imò ne auscultare quidem docentibus, sine tædio queant. Leontinus Gorgias.) Ferè ad uerbum Val lib. 8. cap. de Senect. Fuit is Empedoclis, vt traditur, discipulus. Is beneficio longißimæ ætatis (nam centum & nouem vixit annos) cum multis simul floruit, &c. Fab. Quint. lib. 3. cap. 1. atque rursus libro 12. cap. 11. Gorgias quoque, inquit, summæ senectutis id quærere auditores de quo quisque vellet, iubebat. Apud Lucianum in Macrobiis reddit rationem vigentis senectutis. verba subiungam, ῥητόρων δὲ Γοργίας, ὅν τινες σοφιστὴν καλοῦσιν, ἔτη ἑκατὸν ὀκτώ, τροφῆς δὲ ἀποσχόμενος ἐτελεύτησεν, ὅν φασιν ἐρωτηθέντα τὴν αἰτίαν τοῦ μακροῦ γήρως, καὶ ὑγιεινοῦ ἐν πάσαις ταῖς αἰσθήσεσιν, εἰπεῖν, διὰ τὸ μηδέποτε συμπεριενεχθῆναι ταῖς ἄλλων εὐωχίαις. Vide Cæl. de Lect. antiquis lib. 10. cap. 60. Centum & septem.) Cicero & Valerius centum & septem annos Gorgiæ tribuũt, Lucianus & Plinius octo: Apollodorus apud Laërtium in vita Empedoclis, & Quintilianus, nouem.

Qui cùm ex eo.) Apophthegma. Præclarum.) Epiphonema, quo approbat dictum Gorgiæ. Sua enim vitia.) Infert contrarium. Quod non faciebat.) Altera pars au-

πλέοιος. Ennius.) à testimonio & authoritate. Vicit Olympia.) Synecdoche Attica, Vincere olympia: sicut dicunt, certamen certare, ita hic, pro eo quod Pind. ἐν ὀλυμπιάδι νικᾷν dicit. Olympia generis fœmini, vrbs Pisa. In plurali, ludi celebrati, de quibus refero me ad ea quæ annotauit Porph. in pri. Oda Horat. Io. Lonicerus in hymnis Pindaricis, Virgilius Vrbinas lib. 2. de Inuentoribus rerum, Alexander ab Alexandro lib. 5. cap. 8. Cælius Rhodiginus lib. 7. Antiq. lect. cap. 38. Confectus quiescit.) s per ἀπόλειψιν elidendum est, confectu' quiescit, vt in versibus ex Ennio suprà citatis:

Doctu' fideli' suauis homo facundu' suoque
Intent' atque beatus scitu' secunda loquens in.

De elisione τοῦ s lege Cic. in Orat. Quint. lib. 9. cap. de Compos. Erasm. in dialogo de Pronunciatione. Anno XIX.) Hoc est, anno ab Vrb. cond. DXIIII. Glareanus in Chronologia Consulari, & hic apud Plin. lib. 7. cap. 36. iubet legere M. Aciliũ. Cui ego assentior. Fuerunt enim consules sub initium belli Punici tertij, L. Quint. Flam. M. Acilius Balbus, & si Theodorus quoque ἀτίλιος habet. Cepione.) Iubet & hic Glareanus Cepione pro Scipione legere. Et Liuius sanè lib. 3. Decad. 5. Qu. Martio Philippo iterum consuli Qu. Seruiliũ Cepionem collegam iungit, licet hic quoque apud Theod. σκιπίωνος legatur. fuere hi consules anno ab Vrb. condita DLXXXV. Legem Voconiam.) Alexander ab Alexandro hunc locum explicat lib. Genialium dierum 6. cap. 15. Ipsius verba inseram: Cùm Palatini fori iudicia operiremur, & tædio interdum ac mora offenderemur, in bibliothecam Pontificum, quæ ibi fuit proxima, sæpe diuertebamus, ibique in quoscunque incideramus libellos, varia lectione cum amicis conterebamus. cumque Ciceronis Catonem Maiorem inibi fortè nacti essemus, hæc verba quæ ex persona Catonis Cicero memorat, in eo tunc pensitabamus: Cùm ego quinque & sexaginta annos natus, legem Voconiam magna voce & bonis lateribus suasissem. Quid Voconia lege, quam tunc Cato suasit, cautum fuisset, apud nonnullos qui aderãt, quærebatur. Et cùm ex nostratibus homo quispiam fori & iudiciorum non ignarus, idem quod Furia, Falcidia, & Voconia lege caueri respondisset, ne scilicet testatori ex bonis suis vltra dodrantem legare liceret: vtque quarta hæreditatis pars, scripto hæredi saltẽ maneret incolumis sæpiusque hanc legem abrogatam noua constitutione excitatam esse, & pleraq; induceret: dixi ego indubio errore labi illos, qui idem Voconia, quod Furia aut Falcidia statutũ fuisse contenderent: quippe Furia & Falcidia cõtra legis xij. tab. antiquissima decreta à principio latæ fuere. Cùm enim xij. tabulis, quo modo volet, & cui quantumque volet, de bonis disponendi, illaque siue institutionis, siue legati iure relinquendi data facultas foret, postea lege Falcidia & Furia, vt nisi ad dodrantem legare liceret, statutum fuit. Interiectis inde temporibus Qu. Volumnius Saxa Trib. pl. tulit ad populum, ne quis hæredem mulierem faceret: coërcitæque eo plebiscito mulierum hæreditates sunt. Mox lege Voconia, quam C. Voconius Arincinus trib. pleb. tulit, sancitum fuit, vt non fœminas modò, sed ne quis census hæredem etiam vnicam relinqueret filiam: quam legem Cato persuasit. quo quidem plebiscito ne liceret legare mulieribus vltra quadrantem, sub graui documento vetabatur. Nam cùm solidæ hæreditates, & magna patrimonia mulieribus assiduè legarentur, prorsus vt admirabile videatur, quantum mulierum opes hæreditatibus accreuissent, cùm obuiam eundum putarent, ne tam immodicæ largitiones mulieribus fierent, quibus temere abutebantur, cautum fuit lege Voconia, vt non vltra quadrantem, hoc est quartam hæreditatis partem, mulieribus ex quouis peculio obuenire posset. lege autem Falcidia non quadrantem, sicut in Voconia, sed ne vltra dodrantem in legatis cuiuis absumere potestas foret, cauebatur: vt saltem quarta pars hæreditatis & bonorum hæredi scripto, qui in bona & nomen adscitus erat, maneret incolumis.

lex uoconia

Quod enim Voconia lex mulieribus tantùm interdixit, cauens ne vltra quadrantem legaretur, lex Falcidia, ad omnium hæreditatem extendit, cauens ne vltra dodrantem, hoc est nouem vncias testatori in legata absumere facultas foret. Post aliquot verò ætates, cùm multi adulteri præteritis liberis, integrum assem mœchis testamento relinquerent: Domitianus Cæsar salubri constitutione probrosis fœminis quæ mœcharentur, ius capiēdi hæreditatis legataq́; adimit: néve lecticis vectarentur inhibuit. Quod autem verbis legis cauebatur, ne quis census hæredem etiam vnicam relinqueret filiam, census is dicebatur, qui multam pecuniam, & vltra centum millia nummûm in possessione haberet. nam cui multæ essent pecuniæ, multis census æstimabatur. Verba verò legis duodecim tabularum, quibus libera facultas disponendi testatori datur, hæc fuere: Vti legasset suæ rei quisque ita ius esto. D. Augustinus lib. de Ciuit. dei 3. cap. 21. affirmat se ignorare, quid iniquius dici aut excogitari possit. Vide præterea Gelliū lib. 17. cap. 6. lib. 20. cap. 1. Pomp. Lætum in libello de Legibus. Mariū item Riuallium. Theophilus præterea Iustiniani paraphrastes in tit. de leg. Falc. Voconia lege cautum scribit, ne legatarius plus accipiat quàm hæredes sed nihil ad institutum. Voce magna.) Pronunciatio apud Rhetores diuiditur in vocem, & corporis motum. Voce Catonem senem valuisse, inferius manifestum fiet. Quàm validis autē suprema ætate lateribus fuerit, legimus apud Valerium Max. lib. 8. ca. de studio & industria. Verba sunt: Cato sextum & octogesimum annum agens, in Repub tuenda iuuenili animo perstat, neque aut memoriam eius quisquā tardiorem, aut firmitatem lateris vlla ex parte quassatam, aut oś hæsitatione impeditum animaduertit. Quantum autem in orando momentum pronunciatio cōmoda habeat, disce ex eodem Valerio, qui hoc edocet lib. 8. cap. 10. Bonis lateribus.) Theod. εὐτόνως. quia dum vocem intendimus, mouemus latera. Sic Cicero in Orat. προσωποποιΐαν valentiorum, Quintilianus maiorum laterum opus appellat. Idē Philipp. 2. Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate. LXX natus.) Crinitus vltra septuagenarium. Ex quo superius de eius paupertate dictum est.

BALDVINVS. Qualem Isocratis, qui eum librum, qui Panathenaicus inscribitur.) Sic legit Val. Max. lib. 8. cap. de studio & industria: quam lectionem synceram arbitror. Gaza legit Panegyricus, vt habet quidam ex codicibus meis. Hi consules, T. Flaminius, & M. Atilius facti sunt. Ille autem Cœpione & Philippo iterum consulibus mortuus est.) hic quidam Lucium legunt, non Titum & Acilium, in quo nomine Victorinum exemplar eis suffragatur. Gaza Scipione legit, codicem secutus non vsquequaque emendatum. rectè tamen iterum Cos. vt de Qu. Martio Philippo tantùm intelligatur.

Etenim quum complector animo, quatuor causas reperio, cur senectus misera videatur: vnam, quòd auocet à rebus gerendis: alteram, quòd corpus faciat infirmum: tertiam, quòd priuet omnibus ferè voluptatibus: quartam, quòd haud procul absit à morte. Earum, si placet, causarum, quantum quæq; valeat, quantumque iusta sit vnaquæque, videamus. A rebus ge-
Prima vituperatio senectutis. rendis senectus abstrahit? quibus? an his quæ geruntur in iuuentute & viribus? Nullæ'ne igitur res seniles sunt, quæ vel in-

firmis corporibus, animo tamen administrentur? Nihil ergo agebat Q. Maximus, nihil L. Paulus pater tuus, Scipio, socer optimi viri filij mei & cæteri senes? Fabritij, Curij, Coruncanij, cùm Rempub. consilio & auctoritate defendebant, nihil agebant? Ad Appij Claudij senectutem accedebat etiam vt cæcus esset, tamen is cùm sententia senatus inclinaret ad pacem & foedus faciendum cum Pyrrho, non dubitauit dicere illa, quæ versibus persecutus est Ennius,

Senectutẽ impedimento non esse rebus gerendis.

Appius cæcus.

Quò vobis mentes, rectæ, quæ stare solebant
Antehac, dementi sese flexere ruina?

Cæteraque grauissimé. Notum enim vobis carmen est. Et tamen ipsius Appij extat oratio. Atque hanc ille egit septem & decem annos post alterum consulatum, cùm inter duos consulatus anni decem interfuissent, censorque ante consulatum superiorem fuisset. Ex quo intelligitur Pyrrhi bello grandem sanè fuisse, & tamen sic à patribus accepimus.

ERASMVS. *Ad Appij Claudij.) Vt vsitatum est, accedit ad hoc, ita infrequens est, accidit ad hoc. Vnde mendum arbitror: vt in alijs rectius legi, accedebat; Gaza vertit προσῆν. Hanc ille egit.) Nouum est, egit orationem, pro habuit orationem. Mox, septem & decem annos.) Opinor legendum decem annis. Neque enim dicimus triduum post tuum abitum profectus sum, sed triduo.*

BETVLEIVS. DIVISIO. *Etenim.) Propositio, quam hactenus in genere confutauit, per distributionem diffundit. Enumerat enim quatuor causas, cur senectus misera videatur.*

CONFVTATIO PRIMAE CAVSAE.

A rebus gerendis.) Obscuri locus partium enumeratione tollitur. neque enim satis euidens querimonia erat, corporis viribus exhaustis hominem prorsus inutilem ad res gerendas fieri: cùm animi, qui potior hominis pars est, imò secundum quosdam solus hominem constituit, vires tum maximè vigeãt. nec enim aliud commodius αὐχλύσεως instrumentũ est, quàm vel diuisio, vel partitio. Obserua obiter, quantum energiæ subiectio orationi adiiciat. Nihil igitur.) Exemplis vtitur, domesticis maximè, quæ alienis efficacius mouent. Et quia de Fabio Maximo iamiam dictum est, satis magnificè in Scipionis patre moratur, quasi commemorationis quapiam delectatione capiatur. in quo senile ἦθος exprimitur. Ad quod & illud pertinet, quod non memorat quidnam gesserit Paulus senex, cùm & filius hoc ignorare non potuerit, néve ipse quàm deceret in narrando esset profusior: sed affinitatis commemoratio, vt adolescentis præcordia affectus ictu non ferire non potuit, ita beneuolentia iuuenilem amorem deuincire arctius satagit. Neque illud ociosum est, nec ambitiosum cuiquã videri debet, quòd tam honorificè filij defuncti mentionem facit. Si enim quicquam ex omnibus fortunæ commo-

dis est, in quo animus bonus citra reprehensionem gloriari, potest, liberorum cum laude defunctorum gloria est. Nec alio titulo Fab. Max. filium funebri oratione celebrare potuit. De hac affinitate in Lælio dictum est, & dicetur alibi. Præcipiunt autem rhetores, si nota exempla sint, attingenda tantummodo ea esse. Innuit autem censuram, vnde in Rempub. non minus commodi natum est, quàm ex splendidissimo triumpho. Et cæteri senes.) Multitudinis numerus facit, vt exemplorum antonomasiæ quasi quædam innumera series, animos adobruant. Fabricij.) Cuius non modò seuerissima censura memoratur, sed splendidissima iustitiæ continentiæque exempla: quippe qui nec Pyrrhum, cùm posset, veneno extinctum voluit, nec aurum à Samnitibus accipere. Curij.) qui & ipse continentia, qua plus quàm alij armata manu effecit, nobilis est. Coruncanij) Qui primus ius C. est professus. sed per antonomasiā intellige prudentissimos quosque. Autoritate.) graui & prudenti consilio. Nihil agebant?) Conclusio per interrogationem affirmatiuam, quæ negat. Appij Claud.) Cicero sui ipsius optimus interpres, seipse exponet optimè. Ipsius igitur de his quatuor ex Bruto verba ascribam. Possumus App. Claudium suspicari disertum, quia senatum iamiam inclinatum à Pyrrhi pace reuocauerit. Possumus C. Fabricium, quia sit ad Pyrrhum de captiuis recuperandis missus orator. Possumus T. Coruncanum, quod ex Pontificum commentariis longè plurimùm ingenio valuisse videtur. Possumus M. Curium, quod is trib. pleb. interrege Appio Cæco diserto homine, comitia contra leges habente, cùm de plebe consulem non accipiebat, patres antè auctores fieri coëgerit: quod fuerit permagnum, lege Meuia nondū perlata. Qualis autem hæc lex Meuia fuerit, non memini me apud quenquam legere, nisi menda subsit. Appij oratio in senatu habita legitur apud Plutarch. in vita Pyrrhi In 5. Tuscul quæst. dicit hunc Cicero in illo suo casu, nec priuato nec publico muneri defuisse. Meminerunt Valer. lib 8. cap. 14. Ouidius 6. Fast.

Appius est author, Pyrrho qui pace negata,
Multa animo vidit, lumine captus erat.

Plinius de Viris illust. causam cæcitatis reddit, quod Potitios Herculis sacerdotes corruperit, vt sacra Herculea publicos seruos edocerent. Sed eandem cæcitatis causam ipse Liuius adducit lib. 5. ca. 9. Extat oratio.) Theod. σώζεται. Saluum enim est, quod non perit: inquit apud Plautum Euclio. Post alterum consulatum.) Quem gessit anno ab Vrb. cond. CCCCLVII. cum L. Volumio Flamma collega, vt superiorem quoque. Habita ergo oratio est anno CCCCLXXIIII: P. Sulpitio Auerrio, & P. Decio Pyrrhico consulibus. Anni decem.) Lex enim erat Annaria, ne quis iterum consul intra decennium reficeretur. de qua lege dictum est in Lælio, vbi de duobus Scipionis consulatibus agitur. Censor ante consulatum superiorem.) quem anno CCCCLVII. cum eodem collega gessit. Censura appij describitur à Liuio lib. 9. Decad. 1. & Plinio de Viris illust. Fuit autem Censor M. Valerio & P. Decio cōsulibus. hoc est anno ab Vrbe cond. CCCCXLIII. Hunc autem magistratum quinquenniū olim habebant: Cicero de Legibus. Sed postea lege Aemylia in paucos menses contracta est. Lege omnino Liuium. Qui in re gerenda.) Bud. in Annot. posterioribus differentiam ponit inter rem gerere, & res gerere. Rem gerere idem esse quod pugnare: res verò gerere, idem quod belligerare. Cicero ergo hic totum cum partibus confundit.

BALDVINVS. Etenim quantum complector animo, quatuor causas reperio, &c.) quidam codices habent, cùm contemplor. Gaza vtranque lectionem reddidit. Dementi sese flexere ruina.) Theodorus Gaza legit flexere via, vt haber codex quidam manu scriptus. In aliis tamen legitur, ruina, & melius meo quidem iudicio. Atque hanc ille egit septem & decem annis post alterum consulatum, cùm inter duos consulatus anni decē

interfluxissent.) In codicibus scriptis, & quibusdam etiam impreßis habetur, Atq, hæc ille egit, vt hanc, ad orationem non referatur. Anni decem interfuissent.) Nouè dictum videtur, septem & decem annis pro decem & septem annis, vel potius pro decimo septimo anno. Sic paulò post dicit, nouem annis post meum consulatum, pro nono anno. In quibusdam codicibus legitur 17 annos. Appij huius fit mentio. ff. l. 2. tit. 2. de origine iuris, & ff. l. 1. tit. 1. de postulando.

Nihil igitur afferunt, qui in re gerenda versari senectutem negant: similésque sunt, Vt si qui gubernatorem in nauigando agere nihil dicant, cum alij malos scandant, alij per foros cursent, alij sentinam exhauriant: ille autem clauum tenens sedeat in puppi quietus, non faciat ea quæ iuuenes. At verò multo maiora & meliora facit. Non viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur, sed consilio, auctoritate, sententia: quibus non modò non orbari, sed etiam augeri senectus solet: nisi fortè ego vobis (qui & miles, & tribunus, & legatus, & consul, versatus sum in vario genere bellorum) cessare nunc videor, cùm bella non gero. At senatui quæ sunt gerenda præscribo, & quomodo Carthagini malè iamdiu cogitanti bellũ inferatur, multò antè denuncio: de qua nõ antè vereri desinam, quàm illam excisam esse cognouero. Quam palmã vtinam dij immortales tibi Scipio reseruent, vt aui reliquias persequare. Cuius à morte hic tertius & trigesimus est annus: sed memoriam illius viri excipient omnes anni cõsequentes. Anno ante me censorem mortuus est, nouem annis post meum consulatum, cùm consul iterum, me consule, creatus esset. Num igitur si ad centesimum annum vixisset, senectutis eum suæ pœniteret? nec enim excursione, nec saltu, nec eminus hastis, aut cominus gladiis vteretur: sed consilio, ratione, sententia. Quæ nisi essent in senibus, non summum consilium maiores nostri appellassent senatum. Apud Lacedæmonios quidem, hi qui amplissimum magistratum gerunt, vt sunt, sic etiam appellantur, senes. Quòd si legere & audire voletis externa, maximas Respublicas ab adolescentulis labefactatas, à senibus sustentatas & restitutas reperietis. Cedò, qui vestram Rempublicam tantam amisistis tam citò? sic enim percontanti, vt est in Næuij poëtæ ludo, respondentur & alia, & hæc in primis,

Senatus à senio. γέροντες senes, vnde γερουσία summum consilium apud Lacedæmonios.

Proueniebant oratores noui, stulti, adolescentuli.

Temeritas est videlicet florentis ætatis, prudentia senectutis.

ERASMVS. Similesque sunt, vt si qui &c.) Noue dictum & hoc Ciceroni mollius erat, perinde faciunt ac si &c. Hoc annotandum putaui ob quorũdam in dicendo morositatem, cùm videamus nec Ciceronem vsque adeò fuisse superstitiosum. Cedo qui vestram Rempublicam.) Apparet carmen esse iambicum tetrametrum, & constat addita dictione tantam, quæ in nostris vulgatis exẽplaribus hactenus non habebatur, vt legatur ad hunc modum, Cedo, qui vestram Rempublicam tantam amisistis tam citò? Sed aliter versus non perinde constat suis pedibus, nisi legamus, Porrò veniebant rhetores noui, stulti, adolescentuli, & verisimile est scribam pro rhetores posuisse oratores, ceu vocem idem pollẽtem. Cæterùm quòd in vulgatis codicibus habetur scriptum, vt est in Ennij poëtæ libro, in aliis, vt est in Enny posteriore libro, haud dubiè mendosum est: legendum autem vt est in Næuij ludo, siue in Næuij poëtæ ludo. Nã & Theodorus vertit cũ παιδιᾷ. Præterea quod in nostris habetur, Sic enim percontatur quemadmodum legisse videtur Theodorus, alij legunt, Sic enim percontanti, vt est in Næuy ludo, respondentur & alia, & hoc in primis.

BVDKDBTIVS. Nihil igitur.) Conclusio, cum repetitione propositionis. Similesque sunt.) Non credibile esse quod intemperantes statuunt, similitudine docet elegantissima, è re nautica sumpta, qua amplificatur conclusio. Cùm alij malos scandant.) De nauibus, nauiumque partibus, lege Pollucem lib. 1. cap. 9. & Lazarum Bayfium de re nauali, cuius verba super hoc loco adduciam, quibus Theodori versionem examinat: Quod Tullius dixit, sentinam exhauriant: Lucianus in dialogo qui κατάπλους inscribitur, ὅ τι καὶ ἄντλος ἐκκέχυνται dixit. Nec tamen ineptè vertit is (Theodorum notans) qui dixit ἕτεροι δὲ τινες ἀντλοῦσι τὸν ἄντλον. Sed satius fuerit ipsa verba scribere, vt iis legendis, si probatur autor, cognoscamus καταστρώματα ea esse, quos foros Latini dicunt. ἐπειδὰν τῶν μὲν ἄλλων οἱ μὲν ἐπὶ τοὺς ἰστοὺς ἀναρριχῶνται, οἱ δὲ διὰ τῶν καταστρωμάτων τρέχωσι. Quod Tullius dixit, Per foros cursent, Græcus protulit διὰ τῶν καταστρωμάτων. Quod haud scio an verum sit. Tullius enim eo loco non de lõga, sed de oneraria potius loqui videtur. Aulus Gellius lib. 16. Noct. Att. cap. 19. qui vtriusque vocabuli vim ignorare non potuit, dum refert Arionis fidicinis fabulã ex Herodoto, Forum reddidit, pro ἑδωλίοισι dictis ab Herodoto, vt eo autore ἑδώλια fori dici debeant. Hæc Lazarus, qui græca Herodoti verba proponit. quæ, ne longus παρέργως sim, quia libri in manibus sunt, omittam. Quis gubernator, quid clauus, quid sentina, vide etiam apud Erasm. in prouerbio, Sentina malorum. Item, Dum clauum rectum teneam, &c. Item, prora & puppis, &c. Non enim viribus.) Collatio bonorum corporis & animi. Sophocles ait, res magnas non corporis modò viribus geri posse, sed etiam consilio. Non enim viribus.) Amplificat conclusionem, collatione senilium & iuuenum operum. Et sentẽtia.) Theod. γνώμη, quæ Quintiliano propriè sententiæ dicitur, quando significat cõsilium & decretum, atque ita Mezlerus quoque intelligit. Mihi nõ aliena interpretatio videbitur, si quis αὐτὴν τῆς φιλοσοφίας interpretabitur, & vt quisque animi sui sensa dicit. Quibus non modò orbari sed augeri senectus.) Adiacentia senectutis. Cicero in Offic. lib. 1. de decoro senum loquens: Senibus autem labores corporis minuendi, exercitationes animi etiam augendæ videntur. Cur autem seniores prudentiores sint, rationem indicat Plato in Timæo. Anima, inquit, cùm mortalis vinculis includitur, amens efficitur. At postquam nutritionis & augmenti riuus lenius minusque fluit, animæque circuitus tranquilliore motu iter suũ peragunt, pre-

cessuque temporis sedatiores fiunt, & in figurā naturæ suæ congruam restituuntur: tunc singulorum circulorum directæ conuersiones, eiusdem & alterius naturam probè discernunt, hominemque sic institutum prudentem efficiunt. Quòd si quis educationi rectæque nutritioni disciplinam quoque & eruditionem conuenientem adiūxerit, morbo grauissimo deuitato sanus & integer prorsus euadet: sin autem neglexerit, claudum vitæ iter ingressus, tanquam mancus & omnino inutilis rursus ad inferos decedit. Nisi fortè.) Amplificat à suo exemplo.

In vario genere bellorum.) Vegetius de re militari testatur, Catonem de disciplina militari scripsisse, quem ipse secutus sit. Cum bella non gero.) Catonem vtranque hanc paginam fecisse, imò adiecisse tertiam, testimonio est Pliny elogium, cui existimatus optimus orator, optimus imperator, optimus senator. Et quomodo Carth.) ἡ καρχηδόνος αὔξησις (teste Plutarcho) ἔσχατον τῶν πολιτευμάτων. Suasit Cato, dissuasit Scipio Nasica. Catonis tamen, qui cùm sequenti anno mortuus esset, valuit etiam sepulti autoritas, cōtra Nasicam, cuius Cicero in Officiis lib. 1 de vera animi magnitudine disputans, togamque armis præferens, meminit. Quibus argumentis persuaserit, refert Plin. lib. Nat. hist. 15. cap. 18. Nanque, inquit, perniciali odio Carthaginis flagrans, nepotumque securitatis anxius, cùm clamaret in omni senatu Carthaginem delendam, attulit quodam die in curiam præconem ex ea prouincia ficum, ostendensque patribus: Interrogo vos, inquit, quando hoc pomum demptum putatis ex arbore? cùm inter omnes recens esse constaret: Atqui tertium, inquit, ante diem scitote decerptū Carthagine, tam propè à muris habemus hostem. statimque sumptum est Punicum tertium bellū, quo Carthago deleta est, quanquam Catone anno sequente rapto. Quid primùm in eo miremur? curam ingenij, an occasionem fortuitam? celeritatemque cursus, an vehementiam viri? Supra omnia quiddam est, quo nihil equidem duco mirabilius, tantam illam vrbem, & de terrarum orbe per CXX. annos Vrbis æmulam, vnius pomi argumento euersam. Flor. Epit. 49. orationem Catonis in Annalibus inclusam extare memorat. Quam palmam.) victoriā. Vide prouerbium apud Erasm. Palmam ferre. Cæl. lib. 2. ca. 6. Theod. τρόπαιον reddidit, per metalepsin. De trophæo lege Alexandrum ab Alexandro lib. 1. cap. 22. Volater. lib. 30. Philologiæ. Est autem πάθος, & votum. Vtinam dij immortales.) Elegans è re natum vaticinium, quod idem auus Scipio maior Afric. in fragmento de Repub. per insomnium prædixit. Scipio autem anno XVI. pòst consul Carthaginem euertit: hoc est, anno ab Vrbe cond. DLXX. Tertius & trigesimus.) Præceptor noster Glareanus in Chronologia consulari admonet legendum, Quintus & trigesimus, argumento ex sequētibus accepto, vbi dicit, anno ante se Censorem mortuum esse, hoc est anno ab Vrbe cond. DLXIX. Consul autē iterum fuit anno DLX. Sed censuram ego à lustri anno incipio, qui est DLXIX. & Scipionis mortem in annum antecedentē reiicio, & sic Glareani calculus minus errabit. Excipient, διαδέξεται. Vide Comment. Budæi. Nec enim excursione.) Partiū enumeratione expolit & rem militarem, & prudentiam. Excursiones autem faciunt milites, quando castra sua egressi, hostium agros vastant. nostri vocant strayffen. Quæ nisi essent in senibus.) Decori locū prosequitur, à causis efficientibus. Non summum consilium.) βουλή. Cicero ipse pro Milone, atque item pro Cluentio, cōsilium dicit pro iudicum consessu. Quint. lib. vlt. ca. 10. Quòd si mihi des consilium iudicum sapientum, sicut Athenis duæ βουλαὶ iudiciorum fuerunt. Appellassent senatum.) Dionysius Halicarnassens. vbi de Repub. à Romulo constituta lib. 2 scribit. Consilium autem hoc græcè interpretatum, γερουσίαν significare potest, ac si hucusque ipsum à Romanis senatus dicitur. Vtrum autem propter senectutem, qui in consilium electi erant, an propter virtutem hoc cognomen habuerit, affirmare haud satis queo. Nam & seniores, & optimos, solebant prisci senes appellare. Huius autem ordinis participes pa-

qui senes appellabantur à priscis

tres conscripti sunt dicti, quod & hucusque durat. Plutarchus in Romulo, ὥσπερ δὲ τῶν ἀρίστους ἀπέδειξε βουλευτάς, καὶ αὐτοὺς μὲν πατρικίους, τὸ δὲ σύστημα σενᾶτον προσηγόρευσεν. ὁ μὲν οὖν σενᾶτος ἀτρεκῶς γερουσίαν σημαίνει, πατρικίους δὲ τοὺς βουλευτὰς κληθῆναι λέγουσιν, &c. Florus libro 1. cap. 1. Auctis breui viribus hunc rex sapientiß. statum Reip. imposuit, vt iuuentus diuisa per tribus, in equis & in armis ad subita bella excubaret: consilium Reipublicæ penes senes esset, qui ex autoritate patres, ob ætatem senatus vocabantur. Meminit Liuius lib. 1. Seruius Aen. 5. ibi, Indicitque forum. Inter recẽtiores Fenestella, & Lætus. Bud. in Annot. prioribus. Alexand. ab Alexand. lib. 4. cap. 11. Apud Lacedæmonios.) Præter ea quæ Bud. in Annot. citat, videndus Isocrat. in Panath. Plutarch. in Lycurgo. Iustinus lib. 3. Xenophon de Repub. Lacedæmoniorum. Hebræorum quoque senatorius ordo πρεσβυτέριον, & senatores πρεσβύτεροι dicuntur, eadem haud dubiè ratione. Sicut etiã apud Græcos πρεσβευταὶ legati, quia senes plerunque πρεσβεύουσι, hoc est, legati munus obeunt. Obserua obiter argumentum ab Etymologia. Næuij poëtæ ludo.) Scripsit is Comœdias maledicentia plenas, qui cùm in eos scriberet, qui poterant proscribere, ad palinodiã vinculis coactus, exilioque multatus est. Gellius lib. 3. ca. 3. Crinitus in eius vita. Quòd si legere.) Antithesis egregia. Cedó.) Sermocinatio. Oratores noui.) id est, imperiti rerum. Temeritas est.) Caput decori claudit epiphonemate. Diuersum docet versus prouerbialis: ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δὲ γερόντων. Magis quadrant Euripidis, quos Erasmus ibidem allegat: παλαιὸς αἶνος, ἔργα μὲν νεωτέρων, βουλαὶ δ' ἔχουσι τῶν γεροντέρων κράτος. Est & alia parœmia, Senum prudentia: de qua Erasmus videndus est. Extat Plutarchi liber, an seni Respublica administranda sit.

B A L D V I N V S. Cuius à morte hic tertius & trigesimus est annus.) Henricus Glareanus putat legendum quintus & trigesimus. Anno ante me cẽsorem mortuus est.) Nouè dictum videtur, pro, ante meam censuram, siue antè quàm censor essem, sic infrà, Vixerat M. Curius cum P. Decio, qui quinquennio ante eum consulem se pro Republica quarto consulatu deuouerat.

Memoriã in senectute non minui.
Themistoclis memoria.

At memoria minuitur. Credo, nisi exerceas eam, aut etiam si sis natura tardior. Themistocles omnium ciuium nomina perceperat. Num igitur censetis eum, cùm processisset, qui Aristides esset Lysimachum salutare solitum? Equidem non modò eos noui qui sunt, sed eorum patres etiam & auos. Nec sepulchra legens vereor (quot aiunt) ne perdam memoriam: his enim ipsis legendis, redeo in memoriam mortuorum. Nec verò quẽquam senum audiui oblitum, quo lòco thesaurum obruisset, omnia quæ curant meminerunt, vadimonia constituta, qui sibi, quibus ipsi debeãt. Quid iurisc õsulti, quid pontifices quid augures, quid philosophi senes, quàm multa meminerũt? Manent ingenia senibus, modò permaneat studium & industria: nec ea solùm in claris & honoratis viris, sed in vita etiam priuata & quieta. Sophocles ad summam senectutem tragœ-

Sophocles.

dias fecit: quod propter studium, cum rem familiarem negligere videretur, à filiis in iudicium vocatus est: vt quemadmodum (nostro more) malè rem gerentibus patribus, bonis interdici solet, sic illum quasi desipientem à re familiari remouerent iudices. Tum senex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat, & proximè scripserat, Oedipum Coloneum recitasse iudicibus, quæsisseque, num illud carmen desipientis videretur. Quo recitato, sentẽtia iudicum est liberatus. Num igitur húc, num Hesiodum, num Simonidem, num Stesichorum, num quos ante dixi, Isocratem, Gorgiam, num Homerum, num philosophorum principes Pythagoram, Democritum, num Platonem, num Xenocratem, num postea Zenonem, Cleanthem, aut eum, quem vos etiam Romæ vidistis, Diogenem Stoicum coegit in studiis suis obmutescere senectus? An non in omnibus his studiorum agitatio, vitæ æqualis fuit?

Oedipus Coloneus.

Manifestat senectutem nõ obesse rebus gerendis.

ERASMVS. *Cùm ætate processisset.)* *Qui prouectæ sit ætatis, eum dicit in ætate processisse.* *Ne perdam memoriam.)* *vulgò putabatur officere memoriæ, si quis legeret inscriptiones sepulchrorum.* *Omnia quæ curãt.)* *Aliter curo quibus prospicio, aliter ea quæ mihi curæ sunt.* *Ad summam senectutem dixit, sicut ad extremum, pro postremo loco. Et nouè dixit facere tragœdias, pro scribere.*

DEMARETVS. *At memoria minuitur.)* Occupatio. *Potenit enim à parte ad totum obiici: Memoria, quæ pars prudentiæ est, cum ingrauescente ætate decrescit. ergo animi vigor ex parte minuitur. eam satis frigidè conuellit. Paucula siquidem singularia vniuersali conficiendæ non valent. Et hic locus est τὸ ἀδυνάτου. Fieri enim posse docet, vt senes memoria valeant. Sed ἀναγκαστικὸν est, vt diximus, si vnus aut alter valeat, vt ob id consequentia in vniuersitatem trahatur.* Cælius Rhodiginus *libro Antiquarum lectionũ 11. cap. 8 super hac controuersia disputat, asserens in paruulo propterea debilem, & (vt ipsius verbo vtar) desultoriam memoriam esse, quod iugis motus impreßionis ἀντίτυπωμα non facilè recipit. Sed adultam ætatem. vt quæ non decliuis, sed temperata est, tenacius memoria quæque tenere, atque ita senum memoriam nihil conseruare posse, qui ætatis fluxu agitatione raptantur continua. Quæ rationes, quantum ponderis roboris've habeant, viderit ipse.* *Credo nisi exerceas.)* *Cõcessio per exceptionem. Quamuis autem memoria naturæ modò munus existimetur, sitque in ea non dubiè plurimùm, ipsa tamen excolendo, sicut alia omnia augetur. Augetur & alienis ediscendis, & cogitatione, plurimùm iuuatur ordine, locis, imaginibus. Vide præter Ciceronẽ, Quintilianum libro 11. cap. 2. item lib. 10. cap. 6. De memoria quidem, sed tamen contra Catonem, lege notatu dignißima apud Senecam in præfat. Declamationum. Finge senes maximè memoria destitui sed illis memoriæ loco magnum substituit Deus bonum, prudentiam vsu rerum collectam, atque iudicium acrius & efficacius: Lud. Viues.* *Aut etiam si sis natura tard.)* *Est enim memoria signum ingenij, teste Fabio lib. 1. cap. 3.* *Themistocles.)* *Is tanto fuit ingenio, vt obliuionis artem quàm memoriæ maluerit:* Cic. de Orat. 2. *Intra annum vnum*

locutus Persicè. Quintil. lib. 11. cap. de Memoria. Vide Valeriũ lib. 8. cap. de studio & indust. Lud. Viues de Anima lib. 2. negat omnes memoriam pariter habere ad omnia: sed esse qui res facilius meminerint, vt Themistoclem: alios qui verborum, vt Hortensium. Aristides.) Quem in Repub. negociis perpetuo æmulum habuit: quem pro Lysimacho non nouisse nõ potuit. Equidem.) A suo exemplo. Nec sepulchra legens.) Superstitionem autem reijcit, quæ de quidem nihil dum legi. Hoc constat, monumenta, sicut Græcis μνημεῖα quoque, à commonendo dicta, non quòd obliuionem adferant. Ad coniugatorum autem locum Cato hic spectare videtur. Quod tum magis dices, si Theodorum contuleris. μνήματα enim & μνήμη, coniugata sunt. Memoria ergo & sepulchra latinis re ipsa verius quàm voce coniugata fuerint: sicut Græcis ἡ ἀρετὴ, καὶ αἰδῶος. de quo Rodolphus, & apud Aristotelem Ammonius. Sunt qui putant prouerbium subesse, in homines obliuiosos. Nec prorsus aliena sunt quæ tradit Erasm. in prouerb. Viuorum meminisse oportet. Quo loco thesaurum.) Cuius rei exemplum apud Euclionem Plauti reperio. Facetus est à natura senum iocus. Vadimonia constituta. Qui multæ fidei possessor non erat, vadem, id est, fideiussorem dare tenebatur, quod vadari & vadimonium facere dicitur. Vide præter Budæum, etiam Alciatum in l. pecuniæ. §. actiones ff. de verb signific. Iurisconsulti.) Ideo Cicero alibi necessarium oratori esse dicit acumen dialecticorum, memoriam iureconsultorum, qui vno spiritu sexcentas leges proferunt. Erasmi Moria, ironia eleganti traducit, vt vanos ostentatores. Theod. iureconsultos νομίμων ἐξηγητὰς transtulit, quasi sint quædam communis ciuitatis oracula, quippe qui de iure respondentes, iuris sacerdotes appellantur. Sic Antonius apud Ciceronem de Orat. 1. Sin autem quæreretur, quisnam iurisconsultus verè nominaretur, cum dicerem qui legũ & consuetudinis eius, qua priuati in ciuitate vterentur, & ad respondendum, & ad agendum, & ad cauendum peritus esset, & ex eo genere Sex. Aelium, M. Manlium, & P. Mutium nominarem. Permaneat studium.) Causa efficiens. Sophocles ad summam senectutẽ.) Propè enim centesimum annum attigit. Valerius lib. 8. cap. 7. Periclis æqualis, Plutarcho & Strabone testibus Theod. ἐν γήρᾳ βαθεῖ. Cicero in Lælio præpositione, Ad eodem modo vsus est: Amat ad tempus In Bruto: Ipsorum ad ætatem laus eloquentiæ. A filus.) Lucianus in Macrobiis Iophantem filium nominat, eumq́ue lege talionis insaniæ iudices damnasse memorat. Actio est Græcis τῆς παρανοίας. Rem malè gerentibus.) Prodigis & furiosis, lege xij. tab. rerum administratione interdicta, curatores dabantur. § furiosi quoque. Institut. de curatorib. l. 1. & l. si furioso. ff. de curat. furios. l. 1. l. 3 C. eodẽ titulo. Sunt tamen in curatione agnatorum. Citatur ea lex à Cic. Rhet. ad Herenn. 1. cap. de Confirmatione, his verbis: Si furiosus existet, agnatorum gentiliumq́ue in eo pecuniaq́ue eius, potestas esto. Meminit idem Cicero Tusc. quæst. 3. vbi furiosi vocem & naturam explicat. Hinc præceptor noster D. Bonifacius Amerbachius, singulare illud iuris ciuilis decus, in quem Gratiæ omnes humanitatis dotes meritò contulisse putantur, illud prouerbiale originem sumpsisse credit, Ad agnatos & gentiles deducere. Lege ad hæc quæ annotauit D. Erasmus in prouerb. Nauiget Anticyras. & Alciat. cap. 12. libri 1. τῶν παρέργων, quinam gentiles in eadem lege sint, declarat. Oedipum Coloneum.) Qua sola fabula, inquit Valerius, omnium eiusdem studij poëtarum præripere gloriam potuit. Coloneum.) Ascribam Cælij Rhodigini verba, ex cap. 55. lib. Antiquarum lectionum 11. Quid ita Sophoclis tragœdiæ titulus sit factus, Oedipus Coloneus. Sũt qui à loco sentiant fieri vocabuli coniuationem: sed vbinam gẽtium reperiatur is, aut cur sic dicatur, parum doctè parumq́ue exactè perpendisse animaduertuntur. id nos, vt id genus alia pleraque, ex scientissimorum pomœriis proferemus. Igitur apud Pausaniam ita primùm legimus. Hac regionis, inquit, parte apparet Timonis turris, qui solus nouit, nullo pacto fieri

posse, vt quispiam beatus sit, nisi aliorum hominum consuetudinem declinarit. Ostenditur etiam agger, qui κολωνὸς ἵππιος, id est, Colonus equester dicitur, in quem primum Atticæ locum Oedipodem venisse aiunt. Nam & inibi visebatur equestris Neptuni ara, necnon Mineruæ itidem equestris: heroum præterea, Perithoi, Thesei, Oedipodis, Adrasti. Porrò Onomastici septimo Iulius Pollux duos fuisse Colonos scribit, quorũ alter diceretur ἵππιος, id est, equus, in quem confugerit Oedipus. Ad quod fortè prouerbium respectat, quod de equo Sophocleo prætexuimus, eo quidem procliuius, si inibi quoque habitauit Sophocles, quod in 5. de Finibus Cicero significat. Alter verò in foro erat Colonus apud Eurysacium, quò quia conuenirent mercenarij, coloni sunt nuncupati, sicut meminit Hyperides. Eurysacion interpretatur Harpocration, Neptuni templum: ni mendum exemplarium est. nam id Aiacis malunt alij intelligere, qui Eurysaces diceretur, à scuti magnitudine. Est verbũ id apud Sophoclem quoque. Colonus verò hic forensis dicebatur, siue Agoræos. Colonas porrò & Colonos, id est, κολωνοὺς, terrarum supercilia, aut etiam promontoria vocant Græci. Oedipi Colonei meminit in Magia Apuleius, sed cõdicibus insigniter interpellatis. Hæc Cælius. Vide præterea quæ Ioachimus apud Sophoclem annotauit: nempe hanc fabulam magnopere in admiratione ob id fuisse, quòd patriæ populóque suo hac gratificari voluerit, quippe qui κολωνόθεν fuisse tradatur. Huius porrò fabulæ multa etiam apud Aristotelem in Poëtica mẽtio. Num illud carmen desipientis.) Satyrus, vt est apud Aristophanis interpretem, Sophoclis ἀπολογίαν huiusmodi fuisse prodit, εἰ μὲν εἰμὶ σοφοκλῆς, οὐ παραφρονῶ, εἰ δὲ παραφρονῶ, σοφοκλῆς οὐκ εἰμί. Sententiis iudicum.) Plutarch. θαυμαστῶς δὲ τοῦ μέλους φανέντος, προεπέμφθη μετὰ κρότου καὶ βοῆς τῶν παρόντων. Hæc (ne sua laude fraudetur) ex Cælio transcripsimus. Est liberatus.) Et vt testatur D. Hieron. tantùm sapientiæ in ætate iam fracta specimen dedit, vt seueritatem tribunalium in theatri fauorem verteret. Num Hesiodum.) Inde prouerb. Hesiodi senecta.

Simonidem.) Simonides poëta octogesimo anno & docuisse se carmina, & in eorum certamen descendisse, ipse gloriatur. Valerius lib. 8. cap. de studio & indust. Vixit autem Luciano, supra nonaginta. Ad hunc autorem refertur ars memorandi. Dicunt enim, cùm cœnaret Grannone in Thessalia Simonides apud Scopam, fortunatum hominẽ & nobilem, cecinissetq́ue id carmen quod in eum scripsisset, in quo multa ornandi causa poëtarũ more in Castorem scripta & pollucem fuissent, nimis illud sordidè Simonidi dixisse, se dimidium eius, ei quod pactus esset, pro illo carmine daturum: reliquum à suis Tyndaridis, quos æquè laudasset, peteret, si ei videretur. Paulò post esse ferunt nũciatum Simonidi, vt prodiret, iuuenes stare ad ianuam duos quosdam qui eum magnopere euocarent surrexisse illũ ipsum, prodisse, vidisse neminem. & hoc interim spacio, conclaue illud vbi epularetur Scopas concidisse: ea ruina ipsum oppressum, cum suis interisse. quos cùm humare vellent sui, neque possent obtritos internoscere vllo modo, Simonides dicitur ex eo quod meminisset, quo eorũ loco quisque cubuisset, demonstrator vniuscuiusque sepeliendi fuisse. Hac tum re admonitus inuenisse fertur, ordinem esse maximè qui memoriæ lumen afferret. Itaque iis qui hanc partem ingenij exercerent, locos esse capiendos, & ea quæ memoria tenere vellent, effingenda animo, atque in his locis collocanda sic fore, vt ordinem, rerum, locorum ordo conseruaret: res autem ipsas, rerum effigies notaret, atque vt locis pro cera, simulachris pro literis vteremur. Hæc Cic. de Orat. 2. meminit. Quintil. lib. 11. cap. de memoria. Valerius lib. 1. cap. de Miraculis. Num Stesichorum.) Stesichorum Lucianus totidem annis vixisse scribit, quot Anacreon Lyricus vixerit, hoc est quinque & octingenta. Hesiod. Simonid. Stesichorus.) Qui grandes natu cygnæum nescio quid, & solito dulcius vicina morte cecinerunt. Hieronymus ad Nepotianum. Num Homerum.) Qua ætate scripserit, multi multa referunt, de quo suo loco. Quot

annos vixerit, & Herodotus & Plutarchus obticent. Sunt qui dicant CVIII. attigisse.

Num philosophorum principem.) vel quia Italicæ philosophiæ autor, vel quia primus hoc nomen inuenit, cùm paulò plus saperet quàm illi priores, qui se sapientes putauerunt. De quo Lact. diuin. Inst. 3. cap. 2. August. de Ciuit. dei 8. cap. 2. Cic. Tusc. quæst. 5. Obiit autē Pythagoras, vt Heraclides Sarapionis filius inquit, octogesimo ætatis anno, iuxtá suam ipsius ætatum descriptionem, Vt verò cōplures volunt, nonagesimo anno obiit. Hæc Laërt. in lib. 8.

Democritum.) Democritus Abderites centum & quatuor annos natus, cùm alimento abstineret, mortuus est. Lucian. Num Socratem.) Nascitur Socrates, vt ait Apollodorus in Chronicis, sub Absephione, septuagesimæ & septimæ Olympiadis anno 4. Thargelionis mensis sexto, quo die lustrant Athenienses ciuitatem, Dianamq́ue natam Delij tradunt. Moritur primo anno nonagesimæ quintæ Olympiadis, septuagesimo ætatis anno. Num postea Zenonem.) Octo & nonaginta. Lucian. Addit Laërt. quod ἄνοσος καὶ ὑγιὴς obierit. Perseus autem in Scholiis moralibus, septuagintaduorum annorum è vita eum migrasse tradit: Athenas viginti duobus annis natum, profectum: quinquaginta verò & octo annis scholæ præfuisse, Apollonius autor est, Laërtio referente. Cleanthem.) Cleanthes Zenonis discipulus, est successor nouem & nonaginta annos natus. tuberculum in labiis habuit: cumq́ue decreuisset inedia vitā absumere, allatæ sunt ei ab amicis literæ, ac mox adhibito cibo, & perfectis amicorum postulatis, iterum cibo abstinens, vita defunctus est. Hæc Lucian. In annorum numero conuenit Valerio cum Luciano. Quem vos etiam Romæ vidistis.) Fuit is, vt Laërtius memorat, Olymp. CLIII. hoc est anno ab Vrb. cond. DXLV. quo Tarentum receptum est. Vixit is annis LXXXVIII. Luciano referente. Agitatio.) Theodorus, ἐνδελέχεια. Contendunt docti, sit'ne ἐνδελέχεια, vel ἐντελέχεια scribendum. Contētio orta est ex 1. Tusc. quæst. Satis est nobis indicasse, qui partibus faueant. Budæus de Asse, Plutarchi fultus testimonio Politianus in Miscellaneis cap. 1. Beroaldus, Rodolphus Agricola Topicorū primo, & ibidem Phrysemius. Ioachimus Ciceronem reum, ad nescio cuius Rhadamanti sententiam ampliandum censet.

Age vt ista diuina studia omittamus. Possum nominare ex agro Sabino rusticos Romanos vicinos & familiares meos, quibus absentibus nunquam ferè vlla in agro maiora opera fiunt, non serendis, non percipiendis fructibus, non condendis. Quanquam in illis hoc minus mirum. Nemo enim est tam senex, qui se annum non putet posse viuere. sed iidem laborant in eis quæ sciunt nihil ad se omnino pertinere. Serit arbores, quæ alteri seculo prosint vt ait Statius noster in Synephebis: Nec verò dubitat agricola, quanuis senex, quærenti cui serat, respondere, Diis immortalibus, qui me nō accipere modò hæc à maioribus voluerunt, sed etiam posteris prodere. Melius Cæcilius de sene alteri seculo prospiciente, quàm illud idem,

Nota. *Statij duo fuerunt.* *Statius Cæcilius*

Aedepol senectus, si nihil quicquam aliud vitii
Apportes tecum cum aduenis, vnum id est satis,

Quod diu viuendo multa quæ non volt videt.
Et multa fortasse quæ vult. Atque in ea quidem quæ non vult, sæpe etiam adolescentia incurrit. Illud verò idem Cæcilius vitiosius,
Tum etiam in senecta hoc deputo miserrimum,
Sentire ea ætate esse odiosum se alteri.
Iucundum potius quàm odiosum. Vt enim adolescentibus bona indole præditis sapientes senes delectantur, leuiórque fit eorum senectus qui à iuuentute coluntur, & diliguntur: sic adolescentes senum præceptis gaudent, quibus ad virtutum studia ducuntur. Nec minus intelligo me vobis, quàm vos mihi esse iucundos. Sed videtis vt senectus non modò languida atque iners non sit, verùm etiam sit operosa, & semper agens aliquid, & moliens: tale scilicet, quale cuiusque studium in superiore vita fuit. Quid, quòd etiam addiscunt aliquid? vt Solonem versibus gloriantem vidimus, qui se quotidie aliquid addiscentem, *Solon.* senem fieri dicit: vt ego feci, qui Græcas literas senex didici. *Cato senex Græcas literas didicit, quas puer cõtempserat.* Quas quidem sic auidè arripui, quasi diuturnam sitim explere cupiens, vt ea ipsa mihi nota essent, quibus me nunc exemplis vti videtis. Quod cum fecisse Socratem in fidibus audirem, vellem equidem & illud, (discebant enim fidibus antiqui) sed in literis certè elaboraui. *Secunda vituperatio senectutis.*

ERASMVS. Quàm illud idem.) Fortasse videbor nodum quod aiunt, in scirpo quærere. At mihi videtur locus non carere mẽdo, si quidem hic sermo, Melius Cæcilius de sene, &c. videtur esse non Catonis probantis quidem superiorem Cæcilij sententiam, sed hanc non perinde probantis, quam his verbis complexus sit,
Aedepol senectus si nihil quicquam aliud vitij
Apportet secum cùm aduenerit, vnum id est satis,
Quòd diu viuendo, multa quæ non volt videt.
Sunt senarij tres comici, & sermo non sapit orationem rhetoricam, vt nihil quicquam, & apportet secum, & quæ non volt. Hæc nimirum comicorum veterum sunt. Quanquam verò proximum est, Lælij personam ab hoc loco submouendam esse, vt accipiamus Catonem ipsum diluere, quod sibi è comico obiecerat. Hic mecum facit Theodori Gazæ interpretatio. Nec apud hunc additur idem, quæ vox mihi videtur adiecta abs quopiam volente explicare quid demonstraret pronomen illud qui subiecerit, id est, ac rursum ex, id est, abbreuiato, id est, factum idem. Illud verò idem.) Rursus hic sermo videtur esse Catonis sibi locũ alterum obijcientis ex eodem poëta, citantis alios duos è Cæcilio senarios, Tum etiam in senecta hoc deputo miserrimum, sentire ea ætate esse odiosum se alteri. Quòd si versus duriusculi sunt, ne-

mo miretur, cùm alicubi Cicero scriptorem hunc ferreum vocet. Citantur autem apud Nonium Marcellum ex Ephestione in dictione senium, vbi non additur etiam & deputo legitur, non reputo.

BRVLBEEVS. Possum nominare.) Docet non esse impoßibile, vt exacta ætas ad subeundos corporis labores sit idonea. Agro Sabino.) Fabricium innuit, quantum ex Plutarcho colligere licet, qui hoc idem de Catone ipso prædicat. Quibus absentibus.) Domini oculus. Nemo enim est tam senex.) φιλοζώους, id est, vitæ prorogandæ studiosos, senes esse docet Arist. lib. 2. Rhet. vbi de senum moribus loquitur. καὶ φιλόζωοι, inquit, καὶ μάλιστα ἐπὶ τῇ τελευταίᾳ ἡμέρᾳ, διὰ τὸ τοῦ ἀπόντος εἶναι τὴν ἐπιθυμίαν. καὶ οὗ ἐνδεεῖς, τούτου μάλιστα ἐπιθυμοῦσι. Serunt arbores.) Vide prouerb. Serere ne dubites. idem Cicero ex iisdem Statij verbis immortalitatem animorum probat. Naturæque legem hoc docere ait, vt non modò nobis, sed posteris quoque nostris consulamus. Volcatius Sedigitus hunc Statium Cæcilium & Plauto & Terentio præposuit. Quintilianus cum vtroque, vt cum optimis, numerat. Synephebi comœdia nomen habet à duobus adolescentibus, qui æquales ex ephebis excesserant.

Quod diu viuendo.) τῶν ἀνακολούθων locus, ex contrario. Neque enim sequitur, quod senectus multa quæ non vult videt, non vicißim videat aliquando quæ velit. Imò si senectus ob hoc misera censenda est, misera omnis ætas erit, quia nulla pars vitæ ab omni parte beata. Alludit autem ad communem locum, Ipsa dies quandoque parens, quandoque nouerca.

Tum etiam in senecta.) Obiectionem hanc inuertens, ostendit senectutem nec iucunditatis, nec vtilitatis expertem esse: quod postremum confutationis caput est, probat syllogismo expositorio, ex loco relationis. Sed videtis.) Epilogo confutationis capita repetit. Quid quod etiam addiscunt?) Contrarium non modò statuit, sed etiam amplificat. Cic. in 1. Offic. ad filium scribens hortatur, vt tam diu discat, quoad quantum proficiat, eum non pœniteat. Atqui neminem opinor vnum pœnitebit, exacta etiam ætate seipso meliorem factum esse. Solonem.) Hoc supremo vitæ die confirmauit, quum aßidentibus amicis, & quadam de re sermonem inter se conferentibus, fatis iam pressum caput erigeret, interrogareturque quapropter id faceret, respondit: Vt cùm istud quicquid est, de quo disputatis, percepero, moriar. Hæc Valer. loco sæpe iam citato. In versibus.) Poëseωs. Solonis meminit Plato in Timæo.

Qui græcas literas senex.) Meminerunt Quint. lib. 12. cap. 11. Valerius lib. 8. cap. de studio & indust. Hieronymus ad Nepotianum. Ad tantam græcæ linguæ facultatem peruenit, vt Athenis græcam orationem habuerit, autore Plutarcho. Ratiocinatio sic habet: Ego senex sum, ego græcas literas disco: ergo senes discere possunt. Quibus me nunc exemplis.) Vt priori Metzleri expositioni subscribam, faciunt quæ scribit Plutarchus, quod videlicet breuia ex Thucydide, plura ex Demosthene confecerit syngrammata, quibus in oratoriæ deinceps fuit vsus. Adde quod scripta sua græcis sententiis & historiis distincta frequenter exornauit. Item quod pleraque grauiter & sapienter ad verbum è græco in latinum traduxit.

Socratem.) Meminit Valerius loco iam sæpius memorato. Quint. lib. 1. cap. de Musica, lyra institutum refert. Præceptor Connus vocitatus est: Cicero ad Papyriũ lib. 9. Discebant enim fidibus antiqui.) Atque ob id Themistocles, cùm recusasset in conuiuio lyram, habitus fuit indoctior. Cicero 1. Tuscul. quæst. Quintilianus & Plutarchus. Sed Romanorum quoque veterum epulis fides ac tibias adhibere moris fuit, teste Fabio, qui ad Numæ institutionẽ Saliorum carmen refert.

BALDVINVS. Apportet secũ cùm aduenerit, &c.) scripta exemplaria per secũdam personã habẽt, apportes tecũ cùm adueneris, &c. Quòd diu viuẽdo, &c.) Gaza videtur legisse, Quòd quis diu viuẽdo, &c. Illud verò idẽ vitiosius, nõ repetito Cæcilij nomine,

Ne nunc quidem vires desidero adolescentis (is enim locus erat alter de vitiis senectutis) non plus quàm adolescens etiam vires tauri aut elephantis desiderabam. Quod enim homini naturaliter insitum est, eo vti decet: & quicquid agas, agere pro viribus. Quæ enim vox potest esse contemptior, quàm Milonis Crotoniatæ, qui cùm iam senex esset, athletasque se in curriculo exercentes videret, aspexisse lacertos suos dicitur, illachrymansque dixisse, At hi quidem iam mortui sunt. Non verò tam isti quàm tu ipse nugator: neque enim ex te vnquam es nobilitatus, sed ex lateribus & lacertis tuis. Nihil Sex. Aelius tale: nihil multis annis antè T. Corúcanius: nihil modò P. Crassus, à quibus iura ciuibus præscribebantur, quorum vsque ad extremum spiritum prouecta est prudentia.

Senectutē hoc mi feram non esse, quod corpus infirmum reddat.

CONFVTATIO ALTERA.

BEVREBERS. *Nec nunc quidem vires desidero.) Obscurum explicatione verbi Desidero tollit, & ἀ σϕήσεως loco manifestum facit, quod profusa magis quàm par sit propositione positum erat. Desideramus enim ea propriè, quæ in nobis requiruntur: sed quia in exacta ætate vires non requiruntur, senis vires non desiderantur. Atque obiter attingitur etiam τὸ πρέπον. Et sic nec asinus alas desiderat, nec sciurus cornua, nec lepus vngulas, nec canis promuscidem, quia non sunt πεϕυκότες, vt eiusmodi habeant. Insigne huius rei exemplum est apud Liuium Camillus, cuius vegetum ingeniū exacta iam ætate viuido in pectore vigebat, florebatque integris sensibus, quem vix vrbanis rebus sufficientem bella excitarūt. Quod enim homini.) Antecedens enthymematis. Pro viribus.) Quas scilicet quælibet ætas exigit. Dicimus enim puerum pro viribus satisfecisse, quando tantum præstat, quantum ab ea ætate expectari potest. Alius est loquēdi modus, pro virili parte, à portionibus ætatis ductus. Verg. in 9. Remulo cuipiam glorioso, atque importunè vires iactanti, Italos nec ineunte nec exacta ætate bello inutiles esse obtestanti, hanc sententiam tribuit:*

Durum à stirpe genus natos ad flumina primum
Deferimus, sæuoque gelu duramus, & vndis.
Venatu inuigilant pueri, syluasque fatigant.
Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu.
At patiens operum, paruoque adsueta iuuentus,
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne æuum ferro teritur, versaque iuuencum
Terga fatigamus hasta. Nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem.
Caniciem galea premimus: semperque recentes
Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto.

Quid multa? Senes sunt mens iuuenū: & iuuenes, manus senum. Quid enim vox.) Amplificat contrario exemplo. Milonis Crotoniatæ) Refertur à Cælio Rhodigino lib. 10.

Lect. antiq. cap. 60. de quo etiam hoc proditur, quod ictu nudæ manus, taurũ fecit victimam: eumque solidum qua mactauerat die, absumpsit solus, non grauatus, Solin. cap. 4. Et Plin. libro 7. cap. 20. Crotoniatam Milonem athletam cùm constitisset, nemo vestigio educebat. malum tenenti, nemo digitum corrigebat. Strabo lib. 6 vbi Crotonem ab athletarum præstantia commendat: Columna, inquit, quandoque in philosophorum contubernio laborante, Milonẽ subeuntem saluos reddidisse vniuersos. ibique commemorat miserabilem hominis interitum, de quo Gelly verba ex lib. 15. ascribam. Milo Crotoniensis, athleta illustris, quem in Chronicis scriptum est, Olympiade prima coronatum esse, exitum habuit vitæ miserandum & mirandum. Cùm iam natu grandis artem athleticam desisset, iterque faceret fortè solus in locis Italiæ syluestribus, quercum vidit proximè viam, patulis in parte media ramis hiantem: tum experiri (credo) etiam tunc volens, an vllæ sibi reliquæ vires adessent: immissis in cauernas arboris digitis, diducere & rescindere quercum conatus est. ac mediam quidem partem discidit, diuellitque. Quercus autem in duas diducta parteis cùm ille quasi perfecto, quod erat connixus, manus laxasset, cessante vi, rediit in naturam, manibusque eius retentis inclusisque, stricta denuò & cohæsa, dilacerandum hominẽ feris præbuit. Memorat & Valerius lib. 9. cap. 12. De eius robore lege Cælium quoque lib. 11. cap. 20. Non verò.) Apostrophe. Et ista cõfutatio constat ex collatione bonorum. Nugator.) qui naturam falsò, tanquam nouercã, malè gratus insimulas. Neque enim ex te.) Stoicus enim corporis bona hominibus esse negat, de quo alibi ex Epicteto. Sunt etiam philosophi, qui negant corpus quicquam ad hominis absolutionẽ pertinere. De quo Socrates apud Plat. in Alcibiade. Nihil Sex. Aemylius.) Ponit per antithesin contraria exempla. Rectè Metzlerus, Aelius: qui propter iuris ciuilis scientiam sic appellatus à summo poëta est,

Egregiè cordatus homo, catus, Aelius Sextus.

quem versum idem Cicero in primo Tusc. quæst. allegat: vbi eorum sententiam refert, qui putant ipsum animum cor esse. Is librum populo Romano dedit, qui appellatur Ius Aelianum, autore Pomponio l. 2. §. augescente. ff. de orig. iuris. Atque rursus eodem titulo ait extare illius librum, qui inscribitur Tripartita, qui veluti iuris cunabula continet. T. Coruncanus.) Qui ius primus profiteri cœpit, cuius tamen nullum scriptum extat, licet responsa complura & memorabilia eius fuerint. idem Põponius loco citato. Annis multis antè.) Circiter XC. Modo Pub. Crassus.) diues, de quo Crassi apud Ciceronem de Orat. 1. elogium subnectam: Equidem propinquum nostrum P. Crassum, illum diuitem, & multis aliis in rebus elegantem hominem, & ornatum, & præcipuè in hoc ferendum & laudandum puto, quod cùm Scæuolæ frater esset, solitus est ei persæpe dicere, neque illum in iure ciuili satis illi arti facere posse, nisi dicendi copiam assumpsisset. Apud Pomponium falsò Lucius legitur: sicut pleraque alia prænomina.

BALDVINVS. Nihil sextus Aemylius tale, nihil multis annis antè T. Coruncanius, nihil modò P. Crassus, à quibus iura ciuibus præscribebantur.) Legẽdum esse, Sextus Aelius ex lib. 3. de Orat. colligi potest, vbi L. Crassus, Meminerant illi, inquit, Sext. Aelium, M. verò Manilium, nos etiam vidimus transuerso ambulantem foro. & paucis interiectis. Hæc fuit P. Crassi illius veteris, hæc T. Coruncany, hæc proaui generi mei Scipionis prudentissimi hominis sapientia &c. Titum Coruncanium in vetustis codicibus scriptum reperio. Ioannes Ferrarius in lib. 1. Institutionum Iustiniani Tiberium pro Tito scribit. quod contrà nonnũquã accidit in Tiberio Graccho. P. Crassus, de quo hic agitur, cùm superiore Africano consul fuit, de quo etiam infrà loquitur: ne putes de P. Crasso Mutiano intelligi, cuius meminit Gell. lib. 1. cap. 13.

Orator metuo ne languescat senectute. Est enim munus eius non ingenij solùm, sed laterum etiam & virium. Omnino canorum illud in voce splendescit, etiam nescio quo pacto, in senectute: quod equidem non amisi adhuc, & videtis annos meos. Sed tamen decorus est sermo senis, quietus, & remissus, facitque persæpe ipsa sibi audientiam, diserti senis compta & mitis oratio. Quòd si exequi nequeas, possis tamen Scipioni præcipere, & Lælio. Quid enim est iucundius senectute stipata studiis iuuentutis? An ne eas quidem vires senectuti relinquemus, vt adolescẽtulos doceat, instituat, ad omne officij munus instruat? quo quid potest esse præclarius? Mihi verò Cn. & P. Scipiones. & aui tui duo L. Aemylius & P. Africanus comitatu nobilium iuuenum fortunati videbantur. Nec vlli bonarum artium magistri non beati putandi, quanuis consenuerint vires atque defecerint: etsi ista ipsa defectio virium, adolescentiæ vitiis efficitur sæpius quàm senectutis. Libidinosa etenim & intemperans adolescentia, effoetum corpus tradit senectuti. Cyrus quidem apud Xenophontem eo sermone quem moriens habuit, cùm admodum senex esset, negat se vnquam sensisse senectutem suam imbecilliorem factam, quàm adolescentia fuisse. Ego L. Metellum memini puer, qui cùm quadriennio post alterum Consulatum Pontifex Max. factus esset, viginti & duos annos ei sacerdotio præfuit, ita bonis viribus esse extremo tempore ætatis, vt adolescentiam non requireret. Nihil necesse est de meipso dicere mihi: quanquam est id quidem senile, ætatique nostræ conceditur. Videtísne vt apud Homerum sæpisimè Nestor de virtutibus suis prædicet. Tertiam enim iam ætatem hominum viuebat: nec erat ei verendum, ne vera de se prædicans, nimis videretur aut insolens, aut loquax. Etenim, vt ait Homerus, ex eius lingua melle dulcior fluebat oratio, quam ad suauitatem nullis egebat corporis viribus: & tamen ille dux Græciæ nunquam optat, vt Aiacis similes decem habeat, at vt Nestoris quandoque, quòd si acciderit, non dubitabat quin breui Troia sit peritura.

Senectutem non officere Oratori.

Cyri senis fortitudo.

Seipsum laudare senex qui potest.

Homerus omniũ artium pater.

Nestoris senectus & eloquẽtia.

Sed redeo ad me. Quartum annum ago & octogesimum: equidem posse vellem idem gloriari quod Cyrus, sed tamen

hoc queo dicere, non me quidẽ his esse viribus, quibus aut miles Punico bello, aut quæstor eodem bello, aut c o s. in Hispania fuerim, aut quadriennio pòst, cũ Trib. militaris depugnaui apud Thermopylas, M. Attilio Glabrione c o s. sed tamen, vt vos videtis, non planè me eneruauit, non afflixit senectus, non curia vires meas desiderat, non rostra, non amici, non clientes, non hospites. Nec enim vnquam sum assensus illi veteri laudatoque prouerbio, quod monet, maturè fieri senem si diu velis esse senex. Ego verò me minus diu senem esse mallem, quàm esse senem, antequam essem. Itaque nemo adhuc conuenire me valuit, quin fuerim occupatus. At minus habeo virium, quàm vestrum vteris. Ne vos quidem T. Pontij Centurionis vires habetis: num idcirco ille est præstantior vobis? moderatio modò virium adsit, & tantum quantum quisque potest nitatur, næ ille non magno desiderio tenebitur virium. Olympiæ per stadium ingressus esse Milo dicitur, cum humeris sustineret bouẽ viuum. Vtrum igitur has corporis, an Pythagoræ tibi malis vires ingenij dari? Denique isto bono vtare dum adsit: cùm absit, ne requiras: nisi fortè adolescẽtes, pueritiam: paulùm ætate progressi, adolescentiam debeant requirere. Cursus est certus ætatis, & via vna naturæ, eaq; simplex, suaq; cuique parti ætatis tempestiuitas est data. Vt enim infirmitas puerorum, & ferocitas iuuenum, & grauitas iam constantis ætatis: sic senectutis maturitas naturale quiddam habet, quod suo tempore percipi debeat. Arbitror te audire Scipio, hospes tuus habitus Masinissa, quæ faciat hodie nonaginta annos natus, cùm ingressus iter pedibus sit, in equum omnino non ascendere: cum equo, ex equo non descendere: nullo imbre, nullo frigore adduci, vt capite operto sit, summam in eo esse corporis siccitatem, itaque exequi omnia regis officia & munera. Potest igitur exercitatio & temperantia etiam in senectute conseruare aliquid pristini roboris.

Maturitas senectutis.
Masinissa rex Mauritaniæ.

ERASMVS. Facit sibi audientiam.) Nouè dixit, neque nõ eleganter tamen, pro eo quod erat, reddit attentum auditorem. Nec erat ei verecundum.) Opinor pro verecundum, legendum, verendum, nisi fortè idẽ est verecundum & verẽdum. Nec vos quidem.) Citatur in 2. Offic. numero 33. Simile est, quod paulò post ait, Nec postulantur quidem.

Orator.) Poßibile eſſe docet, alij obiectioni occurrẽs. Sed laterum etiam.) Quintil. lib. 11. cap. de Pronunciat. Latera cum geſtu conſentiant. facit enim aliquid & totius corporis motus, adeo vt Cicero plus illo agi, quàm manibus ipſis, putet. Ita enim dicit in Orat. Nullæ argutiæ digitorum, non ad numerum articulus cadens, trunco magis toto ſe ipſe moderans, & virili laterum flexione. & idẽ Cicero de Orat. 3. Omneis autem hos, manus ſubſequi debet geſtus, non hic verba exprimens ſcenicus, ſed vniuerſam rem & ſententiam non demonſtratione, ſed ſignificatione declarans, laterum inflexione hac forti & virili, non ab ſcena & hiſtrionibus, ſed ab armis, aut etiam à palæſtra. Canorum illud in voce.) Obiectionis confutatio, Senibus eloquentiæ inſtrumenta non deeſſe. Quintilianus vbi de pronunciatione agit, dicit vocis naturam ſpectari quantitate & qualitate. Quantitas eſt ſimplicior: in ſumma enim, grandis aut exigua eſt. Qualitas magis varia eſt. nam eſt aut candida, aut fuſca: & plena. & exilis: & lenis, & aſpera: & contracta, & fuſa: & dura, & flexibilis: & clara, & obtuſa. Quod ergo Cicero canorum appellat, claram intelligere videtur. Clarior enim tum fit, cùm obtuſa ſplendeſcit. niſi malis ad candidum referre, quã Ariſtoteles quoque λευκὴν appellat, & [illegible] interpretatur, quam Plinius Venere in fuſcam declinare ſcribit lib. 28. cap. 6. Item lib. 11. cap. 15. vocem ait in ſenecta exiliorem eſſe. & apud Homerum, ſenes cicadis ſimiles introducuntur, Iliad γ. Sed ſi cupis multas de vocis ratione opiniones legere, vide Cælium lib. 16. cap. 52. Antiq. lect. Audientiam.) Hanc vocem docti ab imitatione non excludunt. Et, quòd ſi cuius teneriores aures offendat, meminerit Catonem loqui. Plaut. Surge præco, ſac populo audientiam. Compta oratio.) Sicut ſuperiora pronunciationem, ita hoc compoſitionem commendat. Theod. εὐσύνθετος λόγος. Valet enim compoſitio quàmplurimum, non ad delectationem modò, ſed ad motum quoque animorum. Quintil. lib. 9. Atque idem ibidem rationem ſubiungit, quod numeris & modis tacita quædam vis ineſt. Quòd ſi exequi nequeas.) Tertia ratio confutationis, antonomaſia longè gratißima eſt, qua Scipionis & Lælij nomine optimos quoſq; iuuenes intelligit. Quid enim eſt iucundius.) Paulò pòſt vtile ſubiuncturus, τὸ ἦδος præmittit. Omne ſiquidem tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci. Quæ ſi ſenectus præſtat, miſera eſſe prorſus non poteſt. Et eſt propoſitio maior. Quod ſit.) Largitur quidem tantumnon rei ſummam, ſed tamen excipit nonnihil virium, quod ſenio reliquum ſit factum, nempe inſtituere iuuentutem. atque ex hoc colligit, ſenij labores iucundos eſſe. Colligit, inquam, in hunc modum: Iucundũ eſt docere adoleſcentes, ſenes docent adoleſcentes, atque ex hoc ſenectam eſſe iucundam. Vtranque cõfirmat ſyllogiſmo expoſitorio, ab effectorum loco. Scipioni & Lælio.) ἑταίροις. Stipata ſtudiis.) Reſpicit ad antiquum morem, cuius in prologo amicitiæ ſit mentio: adoleſcentes videlicet à patribus ad ſenes deduci ſolitos. C. & P. Scip.) Cneus legendum, & ſic rectè legit Theodorus. Intelligit duos fratres, qui in Hiſpania ceciderunt, de quo Sillius:

> Dum Capua infauſtam luit haud ſine ſanguine culpam,
> Interea geminos terra crudelis Ibera,
> Fortuna abſtulerat, permiſcens triſtia lætis,
> Scipiadas, magnumq́ue decus, magnumq́ue dolorem.

Hi ſunt quos Vergilius in ſexto Vocat, Duo fulmina belli Scipiadas. Publius eſt maioris Africani & Aſiatici pater, Cneus verò eorũ patruus & Scipionis Naſicæ genitor. Et aui tui duo.) Aemylius ſanguinis, Africanus Publij, cuius eſt mentio, filius adoptionis linea. Genealogiam familiæ Portiæ & Corneliæ in charta depictã dabimus. Nec vlli bonarum artium.) Iucundum ſanè eſt, ſi ſolum nactus ſis tractabile, quod exerceas. Et Quintilianus credit honeſtum eſſe docere, quod optimè ſcias. Quàm ſit beatũ, docet Eraſmus in dia-

f

audientia

logo de Pronunciatione. *Et si ista ipsa defectio.)* Translatio. Transfert culpam in adolescentiam, idque à causa efficiente. Sunt duæ causæ ex quibus omnes morbi oriuntur, vt Galenus in Isagoge ex Hippocrate docet. vna quæ forinsecus accedit, aër videlicet ambiens: altera interna, ἐκ τῶν διαιτημάτων. Ad victus autem rationem pertinet etiam Venus. *Effœtum corpus)* Theod δίκκαιον, & vt Homerus inquit, οὐκ ἔτι σάρκας τε καὶ ὀστέα ἶνες ἔχουσιν. Nam hic non ἄγονον significat, non embryo vel facultate gignendi, sed viribus exhaustum.

Cyrus apud Xenophontem.) De Pædia Cyri lib. 8. græco Xenophonte destitutus, Philelphi translationem ponā: Filij mei charissimi (inquit Cyrus) & vos amici omnes, qui hic adestis, vitæ finem adesse iam mihi ex multis equidem rebus perspicuè cognosco. Vos autem decet, cùm abiero, omnia & dicere & facere, perinde atque felicitatem adeptus sim. Ego enim & cùm puer essem, quæ in pueritia honesta existimantur, eorum mihi videor fructum consequutus. & vbi excessi ex ephebis adolescētiæ honestate. & perfectus vir factus, quæ in viris honesta sunt, his sum perfunctus. & cùm vnà cum ætate procederem, mihi auctas cognoscere visus sum vires meas. Itaque senectutem meam nunquam sensi esse mea factam iuuenta imbecilliorem: neque aliquid aut cupisse, aut aggressum me noui, quod minus mihi contigerit, vndique amicos meos per me factos esse felices. hostes verò à me actos in seruitutem: & reliqua quæ sequuntur. Lucianus ait hunc centesimum annum assequutum fuisse. Scripsit autem Xenophon Cyri Pædian, non sine Platonis reprehensione, de quo lege Gellium lib. 14. cap 3.

L. Metellum.) L. Cæcilio Metello in consulatu collega fuit M. Fab. Bubeo, anno ab Vrbe cond. D. & VI. Cato autem hanc orationem habuisse memoratur, anno DL. & IIII. annos natus LXXXIIII. Quòd si quatuor illos & viginti duos annos interposueris, inuenies Catonem puerum ferè infrà duodecim annos constitutum. Atque sic Glareanus quoq; credit fieri posse. Nam cùm XI. annis præfuit pontificatui, Cato natus est. Huius pontificatus meminit Flor. Epit. 19. Colligit ita: Cyro non fuit impedimento senectus, non fuit Metello, nō Nestori, non mihi, non alijs plerisque, qui iuuentutis annos temperantes vixerunt: consequitur ergo, crimen illud non in senectute esse. quod ipsa propositione, in iuuentutem paulò superius per translationem reiectum est. *Nihil necesse.)* Occupatione gloriationem senilem excusat. Exemplorum abundè apud Comicos est. *Sæpissimè Nestor.)* Pyliorum rex, Agamemnonem & Achillem intestinis odijs dissidentes conciliare conatus, vt sibi pareant hortatur. sibi enim præstantissimos, Pirithoum, Dryantem, Theseum, & alios dijs immortalibus conferendos heroas, paruisse: seq; ijs in auxilium contra Centauros profectum, res egregiè gessisse. Verba sunt Iliad. α.

ἀλλὰ πίθεσθ᾽. ἄμφω δὲ νεωτέρω ἐστὸν ἐμεῖο.
ἤδη γάρ ποτ᾽ ἐγὼ καὶ ἀρείοσιν ἠέπερ ὑμῖν
ἀνδράσιν ὡμίλησα, καὶ οὔποτέ μ᾽ οἵ γ᾽ ἀθέριζον.
οὐ γάρ πω τοίους ἴδον ἀνέρας, οὐδὲ ἴδωμαι,
οἷον Πειρίθοόν τε, Δρύαντά τε ποιμένα λαῶν,
Καινέα τ᾽ Ἐξάδιόν τε, καὶ ἀντίθεον Πολύφημον,
Θησέα τ᾽ Αἰγείδην ἐπιείκελον ἀθανάτοισι.
κάρτιστοι δὴ κεῖνοι ἐπιχθονίων τράφεν ἀνδρῶν.
κάρτιστοι μὲν ἔσαν, καὶ καρτίστοις ἐμάχοντο,
φηρσὶν ὀρεσκώοισι, καὶ ἐκπάγλως ἀπόλεσσαν.
καὶ μὲν τοῖσιν ἐγὼ μεθομίλεον ἐκ Πύλου ἐλθὼν
τηλόθεν ἐξ ἀπίης γαίης, καλέσαντο γὰρ αὐτοί.
καὶ μαχόμην κατ᾽ ἔμ᾽ αὐτὸν ἐγώ. κείνοισι δ᾽ ἂν οὔτις

τῶν οἳ νῦν βροτοί εἰσιν ἐπιχθόνιοι, μαχέοιτο.
καὶ μέν μευ βουλέων ξύνιον, πείθοντό τε μύθῳ.

Et in libro vndecimo Nestoris oratio ad Patroclum, est senilis gloriationis plena, quæ quia lõga est locum indicasse sit satis. Quanquam & id quidem.) *Occupatione mollit, & est decorum. In sene enim laudatur, & facilè toleratur iactantia.* Tertiam enim iam ætatem.) *Locus est Iliad. α.*

-τοῖσι δὲ Νέστωρ
ἡδυεπὴς ἀνόρουσε λιγὺς Πυλίων ἀγορητής,
τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.
τῷ δ' ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων
ἐφθίαθ' οἵ οἱ πρόσθεν ἅμα τράφεν, ἠδ' ἐγένοντο
ἐν Πύλῳ ἠγαθέῃ, μετὰ δὲ τριτάτοισιν ἄνασσεν. Ouidius:

Spectatorem operum multorum reddere, vixi
Annos bis centum, nunc tertia viuitur ætas.

Næuius Trisæclisenem, & dulcioriloquum vocat, vt est apud Gellium lib. 19 cap. 17. Refert Lucianus in Macrobiis. Vide Hieronymum ad Nepotianum, & prouerb. Nestorea senecta. Quo loco inter scriptores controuersia controuertitur, quónam temporum spacio seculum sit finiendum. Mihi Censorini definitio placet, qui cap. 6. de Natali sic definit: Seculum, inquit, est spacium vitæ humanæ lõgißimum, partu & morte definitum. Quod Cicero velle videtur, dum signanter dicit, tertiam eum ætatem hominum vixisse. Quid, quod Plutarchus Nestori Catonem confert, quòd tertiam vsque ætatem & ipse attigerit? quippe qui cum maiore & minore Africano vixerit. Ex eius lingua) *Cicero in Bruto ex hoc Homeri loco colligit, heroicis illis temporibus oratoriam in precio fuisse, quum Homerus Vlyßi vim, Nestori suauitatem dicendi dederit: Quintilianus in vndecimo ex Homero tria dicẽdi genera obseruauit, breuem & propriam iucũditatem in Menelao, in Nestore melle dulciorem sermonem, in Vlysse orationem impetu fluminii niuibus hybernis aucto parem. Plutarchus in Homeri vita de generibus dicendi alia ostendit exempla. Vide ad hæc prouerbium, Nestorea eloquentia. De Nestore lege omnino Boccat lib. 10. cap. 36.* Et tamen ille dux Græciæ.) *Agamemnon videlicet. Significat autem bellum magis consilio quàm vi geri debere. Locus est Iliad. β.*

αἲ γὰρ Ζεῦ τε πάτερ, καὶ Ἀθηναίη, καὶ Ἄπολλον,
τοιοῦτοι δέκα μοι συμφράδμονες εἶεν Ἀχαιῶν,
τῶ κε τάχ' ἠμύσειε πόλις Πριάμοιο ἄνακτος
χερσὶν ὑφ' ἡμετέρῃσιν ἁλοῦσά τε, περθομένη τε.

Interea tamen Cicerò pulchrè dißimulat, quod Nestor vbiq; queritur, se iuuenili robore destitutum. Aut consul in Hispania fuerim.) *In qua plura oppida cepit, quàm dies fuerit: Plutarchus. Consul fuit ano D. & LIX Eius in consulatu collega, L. Valerius Flaccus. Mirum autem, quòd senex gloriosus gloriosum obticuit triumphum, de quo Liuius lib. 4. Decadis quartæ, & Plutarchus in eius vita.* Aut quadriennio pòst.) *Decorũ senile in hoc est, quod tanta vbique diligentia, tempora rerum commemorat, & in hoc vigentem in senectute memoriam ostentat.* Cùm tribunus militaris.) *Liuius libro 6. Decad 4. refert, Catonem hunc nostrum, & L. Valerium Flaccum, consulares legatos ab Attilio, vel vt alij scribunt, Acilio contra AEtolos missos. Catonemque in callidromum missum, deiectis inde AEtolis, rem feliciter geßisse. Plutarchus chiliarcham ipsum profectum cum Manlio Acilio contra Antiochum scribit. Diuersitatem ob id signo, quod Metzlerus negat se legisse, virum consularem tribuni militaris ordinem duxisse. De tribunis militum præter Fenestellam & Latum,*

lege Alexandrum ab Alexandro lib. Genialium dierum 6. cap. 18. Petrum Crinitum de Honesta disciplina lib. 11 cap. 2. *Thermopylas.*) Thermopylarum descriptionem & situm luculentissimè habes apud Liuium loco citato. Strab. lib. 9. *Eneruauit.*) Per metalepsin, robore destituit. est enim robur in neruis situm. Galenus in Isagoge duas neruorum, siue νεύρων species facit. vnam τῶν συνδετικῶν, qui mutuas ossium connexiones colligant: alteram τῶν αἰσθητικῶν ἢ κινητικῶν, qui corpus pro arbitrio mouent. Qui, vt Aphrodys. in Problemat. ait, sufficiente motiua virtute destituti, corpus debilitant, & tremulum reddũt. Nihil refert, quin vtrosque intelligas. Hinc neruos intendere dicimus, & neruos expedire: & omnibus neruis, pro summo studio: & neruosa appellamus vegeta & valida. Vide Chiliades Erasmi. Cicero pro Cælio, in fine: Quem si vobis, si suis, si Respub. conseruatis, adductum, deditum, obstrictum vobis ac liberis vestris habebitis, omniumque huius neruorum ac laborum vos potissimum inde fructus vberes diuturnosque capietis. *Non curia.*) Distributio per signa. *Curia.*) Curia & rostra per metonymiam, continens pro contento. Curiam Theod. βουλευτήριον, Marlianus γερουσίαν, quæ Polluci est συνέδριον τῶν γερόντων. Fuit etiam Romæ Gerusia seniorum curia. Marlianus lib. 3 cap. 16. Curia in comitio fuit. & idem hic locus est, vt quidã volunt, cum senaculo: in curia publicas curas gerebant. Fuit autem curia sacerdotum, vbi res diuinæ tractabantur: & senatus, vbi humanæ gerebantur. Curia autem, vbi senatus conueniebat, templum erat. Non licebat enim S.C. & senatum, nisi in loco per auguria constituto fieri. Sed nihil ad φατρίαν καὶ λόχον, de quibus Dionysius Halicarnasseus lib. 2. & Plutarchus in Rom. De curiis vide eundem Marlianum lib. 2. cap. 11. Alexandrum ab Alexandro lib. 1. cap. 16. *Non rostra.*) Pro concione. vt in illo de Oratore 1. Age verò, ne semper forum, subsellia, rostra, curiamque mediteris. Ex nauium Antiatium rostris suggestum in foro Romano ad Palatij radices extructum à Romanis, quod rostra, templum vocabant, vt in iis S.C. fierent. Rostra autem duplicia: noua, quæ (vt dictum est) ad palatij radices: & vetera, quæ apud curiam in comitio fuere. In rostris leges ferebantur, agebantur causæ, habebantur conciones. In iisdem, viris clarissimis statuas erigere mos fuit. & cætera, quæ Marlianus Epit. lib. 3. cap. 17. scribit. Vide præterea Lazarum de re nauali, & Beroaldum apud Tranq. in Cæsare. Cæterùm Theod. rostra τὰ ἔμβολα, Lazarus τὰς ἐμβολάς. Sed ἔμβολον Polluci pars nauis est, ἐμβολὴ pars currus. *Non clientes, nõ hospites.*) De hoc Cicero in Diuinatione his verbis: Clarissimi viri nostræ ciuitatis, temporibus optimis hoc sibi amplissimũ pulcherrimumque ducebant ab hospitibus, clientibusque suis, ab exteris nationibus, quæ in amicitiam populi Romani ditionemque essent, iniurias propulsare, eorumque fortunas defendere. M. Catonem illum sapientem clarissimum virum & prudentissimum cum multis (maximè Galba) graues inimicitias gessisse accepimus, propter Hispanorum, apud quos Coss. fuerat, iniurias. Addit Bud. in Pandect. hoc ius necessitudinis non personale, sed gentilitiũ, ad agnatos & gentiles transiuisse. Moris, ibidem inquit, apud antiquos fuit, vt prouinciales & socij populi Romani in clientelam sese darẽt proceribus Romanis, quos patronos sibi adoptabant non modò publicè, sed etiam priuatim, iique vt clientes eorum dicerentur, inter se verò hospites. Ferebat autem id huiusmodi necessitudo, vt clientes perpetuò patronorum suorum patrocinio caput ac fortunas suas tuerentur, vicissimque ipsi patronos suos omni obseruantia atque obsequio colerent & venerarentur. Hactenus Budæus. De vtriusque officio vt multa, ita notatu dignissima scribit Dionysius Halicar. lib. 2. de Romanorum antiquitatibus. Gellius lib. 5. cap. 13. Clientem à colendo dicunt, quasi colentem. Theod. πελάτην, à propinquitatis necessitudine. πελάζω enim propinquo significat. *Neque enim vnquam.*) Prouerbium recitatum cõfutat. *Maturè fieri senem.*) id est, maturè sibi parcere, & iuuenilia opera in-

termittere. Quanquam hoc, inquit Erasmus, non probatur homini duro, quique sibi nec extrema senecta remittendis laboribus indulserit, tamen audiendum nobis, maximè si de vitiis iuuentæ sentias, puta libidine, bibacitate, turbulentia vitæ: quæ nisi quis maturè reliquerit, aut nunquam perueniet ad senectam, aut breuem eam habiturus est. At enim hoc prouerbio nos moneri, vt integra adhuc ætate desistamus à laboribus iuuenilibus, ac valetudinis curam agere incipiamus, si velimus esse viuaci ac diuturna senecta. Nam senectutis sors, ocium & quies. Itaq; nemo me conuenire.) *Cõfutatio. non parco mihi, semper enim habeo aliquid ad quod intendã animũ. Sicut in Officiis de Scipione: qui nunq̃ minus fuit ociosus, q̃ cùm esset ociosus.* At minus habeo viriũ.) *Locus decori sequitur, per cõparationẽ ætatum. & colligit, præstantiam nõ à viribus, sed ingenio æstimari debere.* Titi Pontij.) *Fortaßis illum Pontium intelligit, qui cùm Capitolium à Gallis esset obsessum, Tyberium tranauit, de quo Plutarch. in Camillo, Liuius lib. 5. Decad. primæ. aut fortaßis Catonis tempore aliquis, robore magis quàm virtute spectatus.* Præstantior.) *Remotio à dicto ad quid, ad dictum simpliciter. Est autem caput hoc ἀνακόλουθον.* Olympiæ per stadium.) *De stadio, nisi memoria fallor, alibi dictum est. Continet autem stadium Olympicum paßus CCCC. Pythicũ M. Italicum CXXV.* Milo.) *Quintilianus lib. 1. cap. 14. hoc χρειωδῶς exemplum adducit. Vide prouerb. Taurum tollat, vitulum qui sustulerit.* Pythagoras.) *Valerius lib. 8. cap. de studio & industria. Laërt. in eius vita.* Denique.) *Occupatio.* Isto bono.) *Communi magis loquendi modo corporis commoda vocat bona, quàm Stoicorum dogmate.* Ne requiras.) *Gaza, ἐπιζήτει. Vide Comment. Budæi.* Nisi forté.) *κλῖμαξ. & est argumentum ab ordine & neceßitate ipsius naturæ.* Cursus est.) *αἴτιον.* Vt enim infirmitas.) *Hunc locum paulò diligentius examinabimus: Cato τὸ πρέπον conuellens, respicit ad decori proprium, quod, vt in Offic. 1. docuit, hanc propriè habet viam, quæ deducit ad conuenientiã conseruationemque naturæ: quam si sequemur ducem, nunquam aberrabimus. Sed ferocia haud dubiè animi vitium est, sicut & in pueritia infirmitas, in senecta imbecillitas corporis. An autem vitia secundum naturam sint, nescio. Esto, dic naturalem esse imbecillitatem senij, sicut mors quoque naturalis est, licet vitæ priuatio sit, quemadmodum illa virium. At quid de ferocia dicemus, quæ quidem in ea se ætate exerit: sed exerit se tum libido quoque, quàm alio tempore, magis: quam arcendam esse, ipse in Officiis censet. nisi ἀλκιμὸν, quam Boccat. præsumptionem interpretatur, fortitudinem dicas, quam etiam propriè apud poëtas significat.* Percipi.) *Manet in autumni metaphora, vbi maturi fructus percipiuntur. Argumentum sic habet. Naturæ ordo boni consulendus est: quare illa imbecillitas, quia à natura senio data est, æquo animo toleranda. Et obserua latentem conceßionem concedit enim, non cõtendit hunc naturæ cursum esse: sed cũ exceptione, vt sequitur.* Arbitror te audire.) *Apostrophe ad Scipionis vnius personam, ad quem Masinissæ commemoratio peculiariter pertinet.* Hospes tuus Masinissa.) *Ius hospitale gentilitium, adeoque hæreditarium esse, suprà dictum est. Quod vt magis quàm aliunde, ita quando Masinissa Mauritaniæ rex in gentis Corneliæ, adeoque Romanorum amicitiam venerit, ex Sallustij Iugurtha perdisci potest, apud quem hæc verba leguntur: Bello Punico secundo, quo dux Carthaginensium Annibal post magnitudinem nominis Romani, Italiæ opes maximè attriuerat: Masinissa rex Numidarum in amicitiam receptus à Publio Scipione, cui cognomen postea Africano ex virtute fuit, multa & præclara rei militaris facinora fecerat: ob quæ victis Carthaginensibus & capto Syphace, cuius in Africa magnum atque latè imperium valuit, Populus Romanus quascunque vrbes & agros manu ceperat, regi dono dedit. Igitur amicitia Masinissæ bona atque honesta nobis permansit. Sed imperij vitæque eius finis idem fuit. Quàm constans in a-*

micitia persliterit scribit Valerius lib. 5 cap. de Gratis. Xenia hospitibus dari solita sunt. De Xeniis à Masinissa Scipioni datis, scribit Sillius lib. 1.

Huic iuueni dono insignem velamine picto
Dat chlamydem, stratumque ostro (quem cœperat ipse
Deiecto victor Magone animumque probarat)
Cornipedem, & cum qua diuûm libabat ad aras
Asdrubal, ex auro pateram, galeamque comantem,
Ex infirmato sociali fœdere regis, &c.

Liuius multis locis memorat munificentiam Scipionis erga Masinissam, lib. 9. & 10. Dec. 3. Huius hospitalitatis hæreditariæque amicitiæ meminit ipse Scipio in fragmento de Repub. Cùm, inquit, in Africam venissem, Anitio Manilio Coss. ad quartam legionem tribunus, vt scitis, militum, nihil mihi potius fuit, quàm vt Masinissam conuenirem, regem familiæ nostræ iustis de causis amicißimum. Hospes tuus.) Addit Theod. νομιζόμενος, vt intelligas ius hospitale sacrosanctum esse: & eum ius violasse, qui hospitalem tesseram fregerit. Cùm ingressus iter.) Valerius libro 8. cap. de Senect. hæc Ciceronis verba in testimonium adducit.

Summam in eo esse corporis siccitatem) Est enim senectus frigida & sicca, vt Galen. in Isagoge de ætatum constitutionibus docet. Per μετάληψιν caluum intelligit. Alij colligunt, catarrho eum non vexatum, cùm alioqui senectus excrementosa sit, cùm corpus imbecille non digerat, & excremēta rudia per meatus egerat. Est enim siccitatis caluitij causa, teste in Problematib. Alexandro. Alexander porrò ab Alexandro lib. Genialium dierum 2. cap. 19. quibusdam corporis partibus dignitatem inesse docens, capiti tanquam numine aliquo venerabili eum haberi honorem dicit, vt sacris maximè in rebus apertum sit. deinde etiam sanitati conducere, tum hoc Masinissæ, tum aliorum heroum exemplis ostendit. Addit Valerius, hunc aliquot horis in eodem vestigio perstare solitum, non antè moto pede, quàm consimili labore iuuenes fatigasset. & si quid agi à sedente oporteret, toto die sæpenumero nullam in partem conuerso corpore in solio durasse. Ille verò etiam (vt idem refert) exercitus equo confidens, noctem diei plerunque iungendo duxit, nihilque omnino ex his operibus quæ adolescens sustinere assueuerat, quo minus in senectute ageret, omisit. Veneris etiam vsu ita semper viguit, vt post sextum & octogesimum annum filium generaret, cui Methymato nomen fuit. terramque quam vastam & desertam acceperat, perpetuò culturæ studio frugiferam reliquit. In generandi facultatem cum Valerio consentit Plinius libro 7. cap, 14. & Flor. Epit. 50. regni spacium LX. annis emensus. Val. & Plin. lib. 7. cap. 48. Lucianus nonaginta eum annis vixisse scribit. Florus verò maiorē decessisse ait. Itaq; exequi omnia regis officia & munera.) Officia Theod καθήκοντα. Cic. qui suos περὶ καθήκοντος libros de Officiis inscripsit, ad Atticū scribens inquit: Mihi non est dubiū, quin quod Græci καθῆκον, nos officiū. Id autem quid dubitas, quin etiam in Rempub. præclarè caderet? nónne dicimus consulis officium, senatus officium, imperatoris officium? præclarè conuenit. Aut da melius. Atque alibi ad eundem: In eo enim est περὶ τοῦ κατὰ περίστασιν καθήκοντος. Quod de inscriptione quæris, non dubito, quin τὸ καθῆκον officium sit, nisi quod tu aliud. Non huius loci est dispicere, quàm merito Calcagninus hanc inscriptionē suggillet. Viderit hoc aliquis Aristarchus. Certè numerus pro idiomatū varietate aliquando non sine elegantia mutatur, vt statim ex λειτουργίας voce patebit, quæ pluraliter Latinis munera significat, rectius quàm munus. Munera) publicæ functiones sunt, officium dextera functionis administratio munera sunt publica, officia publica, & priuata ex virtutum fontibus manantia. Munera publicis personis necessariò incumbunt. Officij neglector honestatem decorumque negligit. In hoc Dionysius peccauit, & Nero; in illo Sar-

danapalus. Vide etiam Vallam lib. 6. cap. 39. Legibus & institutis.) ἔγγραφα καὶ ἄγραφα. Vide Budæum, & ipsas Pandectas. Muneribus iis.) belli videlicet, & senatorio. Maior enim XLVI. annis, militiæ non ascribebatur: nec senatores, qui quintum & sexagesimum annum ætatis excessissent, cogi inuitos, aut contumaces pignore vel pecunia plecti decebat. Senatori enim sexagenario ad eam ætatem in senatum non venisse, nulli fraudi fuit. Semper tamen in senatum frequentem venisse, & fortem sententiam dixisse, boni senatoris est habitum. Hæc & plura alia refert Alexander ab Alexandro lib. 2. cap. 2. & lib. 4. cap. 11. Seneca de breuitate vitæ: Lex à quinquagesimo anno non cogit, à sexagesimo senatorem non citat. Sunt in Pandectarum lib. 50. tituli de vacatione & excusatione munerum. Item de iure immunitatis. & in Cod. lib. 10 sunt aliquot ordine tituli. Habuerunt & veterani suas immunitates, vt est apud iureconsultos, in tit. de Veteranis. Hæc enim omnia Vacationis nomine veniunt, apud classicos scriptores Qui à muneribus publicis propter ætatis excusationem vacabant, dicebantur emeriti. De quo præter Vallam, vide Budæum in l. municeps. §. miles. ff. ad municipalem.

BALDVINVS. Etenim, vt ait Home. ex eius lingua melle dulcior fluebat oratio.) Id dicit Home. Iliad. 1. τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή. lib. autem 2. dux Agamemnon decem Nestoris similes optat. Et eius vitia diligentia compensanda sunt.) vetus quidam codex habet compescenda sunt, quemadmodũ Gaza legisse videtur, qui vertit κολαστέον.

Non sunt in senectute vires. Ne postulantur quidem vires à senectute. Ergo & legibus, & institutis, vacat ætas nostra muneribus iis, quæ non possunt sine viribus sustineri Itaque non modò quod non possumus, sed ne quantum possumus quidẽ cogimur. At multi ita sunt imbecilli senes, vt nullum officij, aut omnino vitæ munus exequi possint. At id quidem non proprium senectutis est vitium, sed commune valetudinis. Quàm fuit imbecillus P. Africani filius is qui te adoptauit? quàm tenui, aut nulla potius valetudine? Quod ni ita fuisset, alterum illee extitisset lumen ciuitatis. Ad paternam enim magnitudinem animi, doctrina vberior accesserat. Quid mirum igitur in senibus, si infirmi sunt aliquando, cùm ne id quidem adolescentes effugere possint? Resistendum Læli & Scipio senectuti est, eiusque vitia diligentia compensanda sunt. Pugnandum tanquam contra morbum est, sic contra senectutem. Habenda ratio valetudinis. Vtendum exercitationibus modicis. Tantum cibi & potionis adhibendum, vt reficiantur vires, non opprimantur. Nec verò corpori soli subueniendum est, sed menti atque animo multò magis. nanque hæc quoque, nisi tanquam lumini oleum instilles, extinguntur senectute. Et corpora qui-

Documẽta ad resistẽdũ senectuti.

Corpus exercitatione ingrauescit, animus leuatur. dem exercitationum defatigatione ingrauescunt, animi autem se exercendo leuantur. Nam quos ait Cæcilius comicus stultos senes, hos significat credulos, obliuiosos, dissolutos. quæ vitia sunt non senectutis, sed inertis, ignauæ, somniculosæ senectutis, Vt petulantia, vt libido, magis est adolescentum quàm senum, nec tamen omnium adolescentum, sed non proborum: *Deliratio.* sic ista senilis stultitia (quæ deliratio appellari solet) senum leuium est, non omnium. Quatuor robustos filios, & filias quin- *Appius cæcus.* que, tantam domum, tantas clientelas Appius regebat & senex, & cæcus. Intentum enim animum tanquam arcum habebat, nec languescens succumbebat senectuti. Tenebat non modò auctoritatem, sed etiam imperium in suos: metuebant eum serui, verebantur liberi, charum omnes habebant: vigebat in illa domo patrius mos, & disciplina. Ita enim senectus honesta est, si se ipsa defendit, si ius suum retinet, si nemini mancipata est, si vsque ad vltimum spiritum dominatur in suos. Vt enim adolescentem, in quo senile aliquid: sic senẽ, in quo est adolescẽtis aliquid, probo. Quod qui sequitur, corpore senex esse poterit, *Originũ libri à Catone scripti.* animo nunquam erit. Septimus mihi Originum liber est in manibus, omnia antiquitatis monimenta colligo: causarumq́; illustrium quascunque defendi, nunc quàm maximè conficio orationes. Ius Augurum, Pontificum, ciuile tracto: multum e- *Pythagoreorum mos.* tiam Græcis literis vtor: Pythagoreorum que more exercendæ memoriæ gratia, quid quoque die dixerim, audiuerim, egerim, commemoro vesperi. Hæ sunt exercitationes ingenij, hæc curricula mentis. In his desudans atque elaborans, corporis vires non magnopere desidero. Adsum amicis, venio in senatum frequens, vltroque affero res multum & diu cogitatas, easq́; tueor animi non corporis viribus. Quæ si exequi nequirem, tamen me lectulus oblectaret meus ea ipsa cogitantem, quæ iam agere non possem. Sed vt possim, facit acta vita. Sẽper enim in iis studiis laboribusq́ue viuenti, nõ intelligitur quando obrepat senectus. Ita sensim sine sensu ætas senescit: nec subitò frangitur, sed diuturnitate extinguitur.

ERASMVS. *At multi ita sunt.) Hoc loco quidam admiscuerant rursus perso-*

nam Lælij, cùm sit sermo Catonis sibi ipsi hæc obiicientis, ac sibi mox respōdentis. Nisi tanquam lumini.) Tanquam adhibuit ad significandam similitudinem. Senum leuium est, non aliorum.) Alij codices habent, Senum est, non aliorum. Sic senem in quo adulescentis probi est aliquid.) In quibusdam non additur probi malimque ita legere.

B. B. D. K. D. B. T. M. O. Non sunt in senectute vires.) Obiectionem esse Theodorus indicat, dum verbum φησὶν interserit. At ita multi sunt imbecilles.) Obiectio alia, à communiter contingentibus. & est κεφάλαιον τοῦ ἀδυνάτου. Imbecilles.) Cùm sine bacillo ingredi nequeāt, iuxta Sphyngis ænigma. Motiua enim virtute senes destituti, humum (quorsum eos natura detrudit) vergentes, bacillorū adminiculo sustentātur, vt Alexāder in Problematis ait. Vt nullum officij.) ἐπιτηδευμάτων Theod. quæ Latini aliâs studia vocant, vt argentarij argētariam facere, mercatoris quæstum. Et id quidem non proprium.) Remouet obiectionem inficiando. Est enim & hoc ἀνέγκλητον: vt proprium propterea sit, quia multis commune. Anceps vox, Theod. ἕξιν ἀνθρωπίνην, id est, corporis cuiusque habitudinē & dispositionem. P. Africani filius.) Cicero in Bruto: Ipsum Scipionem accepimus non infantem fuisse. Filius quidem eius, is qui hunc minorem Scipionem à Paulo adoptauit, si corpore valuisset, in primis habitus esset disertus. Indicant cum oratiunculæ, tum historia quædā græca, scripta dulcissimé. Adoptauit.) Theod. ποιητὸν ἔθετο. Plutarch. de hac adoptione loquens, δύο μὲν πρότερον ἐτύγχανεν ἀδελφοὺς εἰς ἑτέρους θέσθαι. ποιητὸς, filius adoptiuus. ποίησις, adoptio. ποιησάμενος, pater adoptiuus. παῖδα ποιεῖσθαι, adoptare. ἐκποίητος, emancipatus. Vide Budæi Commentaria. Aut nulla potius valetudine.) ἀπαρρωστίας. Theodorus adiicit ἀμοιρίᾳ, id est valetudine omni à fatis destitutus. μοῖρα enim & parcam, & fatum, & fortunam significat. Quod tamen Stoicorum est, qui nasci tantum & mori fatis tribuunt, sed respicit fortè ad Lachesin, quæ vitæ filium trahit. Quid mirum.) A comparatione maioris ad minus. Præsumptio siquidē est, iuuentā constantiore valetudine esse. Resistendum.) Præcepta quædam, quomodo vigor senectuti conseruari possit. Vtendum exercit.) Plin. lib. 28 cap. 4. Abstinere cibo nimio aut potu, aliâs vino tantùm & carne, aliâs balneis, cùm quid eorum postulet valetudo, in præsentissimis remediis habetur. His remediis adnumeratur exercitatio, intentio vocis, vngue fricari cum ratione. Vehemens enim fricatio spissat, lenis mollit, multa adimit corpus, auget modica: in primis verò prodest ambulatio, gestatio, & ea pluribus modis. Equitatio stomacho & coxis vtilissima, phthisi nauigatio, longis morbis locorum mutatio: & reliqua, quæ ibidem de somno tradit. De priuatorum diæta princeps medicorum Hippocrates præcepta tradidit: de studiosorū, Marsilius Ficinus. In vniuersum de victus ratione, Soranus in Isagoge. Exercitationib. modicis.) Nec enim quilibet motus exercitatio putandus est, vt Manardus ad Vaciensem episcopum scribit lib. 6 sed ille tantùm, per quem respiratio permutatur. Illud autem maximè conduceret, quo inferiora corporis, capite quieto, mouerentur. de quo Isocrates ad Dæmonicum παραινέσει quarta pulchrè præcipit, inquiens: ἄσκει τῶν περὶ τὸ σῶμα γυμνασίων, μὴ τὰ πρὸς τὴν ῥώμην, ἀλλὰ τὰ πρὸς τὴν ὑγίειαν συμφέροντα. τούτου δ' ἂν ἐπιτυγχάνοις, εἰ λήγοις τῶν πόνων ἔτι πονεῖν δυνάμενος. Et rursus in prologo Parænetici: τὰ μὲν γὰρ, inquit, σώματα τοῖς συμμέτροις πόνοις, ἡ δὲ ψυχὴ σπουδαίοις λόγοις αὔξεσθαι πέφυκε. Tantùm cibi & potionis.) Manardus in eadem epistola negat, victus rationem non tantùm consistere in quātitate qualitatéve cibi & potus, sed in omnibus his quæ velimus nolimus, nobis occurrunt: vt somno & vigilia, motu & quiete, excretis & detentis, animique affectibus præcipuè autem in aëre, qui non solùm extrinsecus nobis semper adhæret, sed in intima corporis nostri penetralia per inspirationem continuò adigitur. Nemo est qui nesciat, maligna cibaria, ac varia, & malo ordine sum-

pta, cruditatem & crapulam, maximumque & corporibus & animis afferre nocumentum. Hæc Manard qui eiusdem libri epist. 2. victus rationem medicinæ præfert, quandoquidem ipsa per sese interdum bonam ad valetudinem satis est, altera sine hac frustra tentatur. Hæc filij dilecti, propterea pluribus ago, quòd videam & vos & parentes vestros, nullam prorsus, aut saltem exiguam diætæ rationem habere. Hinc crebræ inter vos corporis affectiones, quæ vel nunquam, vel rarissimè sine ingeniorum noxa recedunt. *Non opprimi.*) Alexander Aphrod plerosque vinolentia extinctos ait, qui vini copia naturalem viuificamque virtutem caliditate suffocat. Et Aristoteles de iuuentute & senecta ignis similitudine id docet. Nam cibus modicus, vt est viuacitatis causa, ita nimia alimenti copia concoctionem intercipit. *Et corpora.*) Dissimile. *Animi autem.*) Hoc Quintilianus de memoria dicit, quæ pars ingenij est. *Nam quos ait Cæcil.*) Refutat dictum Cæcilij, translatione: causam falsam ostendens, quam ipse senectuti intendit. *Credulos.*) Credulitatem vitium esse docet Dion, in oratione περὶ ἀπιστίας. *Dissolutos.*) Theod. παρελελυμένους, verecundiæ zona discinctos, Cicero Offic. primo. Negligere quid de se quisque sentiat, non modò arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti. *Quæ vitia sunt.*) Alia rursus διάλυσις, à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. *Quæ deliratio appellari solet.*) Theod ὃ λῆρον ἔθος προσαγορεύειν. Deliratio: Cic. de Orat. 2. O delirationem incredibilem. Plautus deliramentum, τὸ ληρῶδες, in Amph. Hæc quidem deliramenta loquitur. ὁ λῆρος alioquin nugatorem, φλυαρὸν, ματαιόφημον, & φλυαρὸν significat. proprium hoc senum vitium est, vt quos memoria destituit, recedente nimirum naturali calore. Tunc enim ἐντυπώματα menti impressa, quodammodo obliterantur, cui tamen morbo adolescentes quoque obnoxij quandoque deprehenduntur: vt apud Tranq. in Vespas. Nec illa quicquam aliud quàm cachinnasse, mirantem quod adhuc se mentis compote deliraret iam filius suus. Metaphora sumpta est à re rustica, teste Plinio. Is enim lib. 18. cap. 20. de occatione loquens, inquit: Hoc quoque vbi consuetudo patitur, crate dentata, vel tabula aratro adnexa, quod vocant lirare, operientes semina, vnde primum appellata deliratio est. Hinc lirari, & liratim, apud Columellam. De delirio & delirij speciebus, vide Cælium libro 9. cap 28. & 29. *Quatuor robustos filios.*) Idem Cicero 5. quæst. Tusc. Appij Cæci tam in priuatis quàm publicis expeditum vigorem prædicat. *Et senex.*) αὔξησις. *Tenebat non modò autoritatem.*) Theod. αὐθεντίαν. Super hoc loco confert græca cum latino, in Commentariis Budæus. Idem Theodorus libro περὶ μηνῶν ait, hoc vocabulum olim tantum significasse τὸν αὐτόχειρα. postea verò, & supra mille annos, αὐθέντην græcè hoc significare cœpisse, quod apud Latinos Autor significat. Inde αὐθεντία autoritas, quod verbum in Pandectis iureconsultorum sæpe legitur. Vide omnino Budæum in Commentariis. De autoris autoritatisque corriuatione, vide Vallam lib. 3. cap. 32. & Perottum in Cornucopiæ. *Metuebant eum serui.*) Distributio est. quod hîc obseruabis. Ne Cato nimius suæ laudis buccinator, sua subinde facta cantitet, ea in aliena exempla spargit, eorum præsertim quorum vitam fuit ipse imitatus. Oeconomiam Appio tribuit, qua excelluit ipse, quippe qui filium suum ipse docuit, ipsaque vxor filium suo lacte aluit, seruos frugales instituit, frugalis ipse paterfamiliâs, parens bonus, maritus frugi, tolerans laboris. De quibus virtutibus abundè Plutarc. *Si ius suum retinet.*) Ne ex arbitrio liberorum pendeat, néve ad agnatos & gentiles, id est, in tutelam, & quasi mancipationem deducatur. Eò enim Cicero respexisse videtur, ne senex bis puer, rei suæ administrandæ parum idoneus, inuerso naturæ ordine quasi in liberorum sacra recidat. Naturæ interim propinquius est, senectutem in tutelam filiorum, quàm potestatem seruorum recidere. Hæ nanque sunt alieni iuris rationes, in Instit. lib. 1. tit. 2. ἀνδραποδίζειν autem (quo verbo hic Theod. vsus est) ad seruilem mancipationem propriè pertinet. licet autores

μεταφορικῶς ad vrbium quoque deditionem transferant Significat tamen propriè, virum pedibus ligatum mancipare. In patria autem potestate constitutos, quos Cicero mancipatos hîc vocat, Theophilus Institutionum paraphrastes, cùm propriam apud Græcos vocem non inueniret, ὡ πατρίᾳ ποτεϛάτε esse dixit. Obserua obiter locum à relatiuè oppositis. Et quia vtilitatis caput hic tractatur, elenchum in hunc modum cogere poteris. Alieni iuris esse miserũ est. senes delirantes in propinquorum tutelam, quasi in alienum ius redacti putantur: ergo senes delirantes, miseri sunt. Analysis ex contrario statuit: senes quia necessariò non delirant, non esse necessariò miseros. Ceterùm ius suum non retinere dicebant eum, quem nunc iustitiam habere, vel consequi non posse dicimus. Et ius suũ obtinere, ab Isocrate & Demosthene τυγχάνειν τῶ δικαίων dicitur. à Demosthene etiam τὸ δίκαιον ἔχειν. Vide Budæum in Annotationibus in Pand. Vt enim adolescentem.) Conuersio, cui plusculum ex ἀντιθέσει gratiæ accedit. Septimus.) Vtilitatis caput: Docet se nõ propterea inutilẽ, quia senex. Originum liber.) Quorum fragmentum hodie extat. Plutarchus commemorat Catonem historias suas manu sua maiusculis literis exarasse, Originum fortè libros intelligens, quibus Cicero in Bruto florem & eloquentiæ lumen tribuit. Originũ libros vocat annales, quo nomine Lud. Viuer (nomen eius veneror) Genescos libros elegãter appellat. Recitat autem studia sua & elucubrationes, per congeriem. In manibus.) Id est, à me scribitur. Suprà aliter, In manibus est laudatio, id est, edita doctorum manibus teritur. Budæus de Asse primo, hinc colligit moris fuisse, domi orationes limare & conficere. de quo lege Quintilianum etiam circa finem decimi. Ius augurum, pontificum, ciuile tracto.) Theodorus συντάττομαι, id est, compono & scribo. Vide Budæum in Commentariis. Quid ius augurum & pontificale à ciuili differant, vide apud Riuallium de hist. iuris ciuilis. Pythagoræorum more.) De Pythagoræorum viuendi ratione. lege Gellium lib. 1. cap. 14. Exercendæ memoriæ.) Præter ea quæ de exercenda memoria Quintilianus præcipit, lege Ludouicum Viuem de tradendis disciplinis lib. 3. Item de Anima lib. 2. Curricula.) Metaphora, à stadio currentium ad animũ trãslata. Est enim curriculum, spacium, intra quod se cursores exercent. Theodorus ϛάδια. Arist. Sect. 30. Problemate 4. Senes mente amplius valere, iuniores ocyus discere ait: quia mens senioribus contingit (vsu videlicet) iuniorum autem animi, quia occupati nullis rebus sunt facilius quiduis apprehendunt. Desudans.) exercens. manet in palæstræ metaphora. Nõ magnopere.) Aristoteles enim in Rhet. ad Theodecten 2. τὴν ἐπιθυμίαν ait esse τοῦ ἀπόντος.

Adsum amicis.) Adesse, patrocinari: sicut etiam Græcis τὸ παρεῖναι. pro quo superesse Gellius negat: Alciatus probat, autoritate Ciceronis, lib. de verb. signif. 1. Obserua cõgeriem. Frequens, & vltrò, & diu, amplificationes habent, satis cum vehementia pronunciandas.

Ita sensim.) Ciceronianæ securitatis non inelegãs ταυτολογία. Viuenti.) Datiuus acquisitiuè positus. Sensim.) Vnde illud Ouidij.

Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis.

Nec subitò frangitur, sed diuturnitate exting.) Metaphora ab igne, ex opinione Stoicorum, adeoque Democriti, qui animam πνεῦμα θερμὸν, id est, spiritum seruidũ appellant. Ignis corruptiones philosophus περὶ νεότητος καὶ γήρως duas ponit: μάρανσιν, quæ à seipsa prouenit, marcorem interpretantur, senectutem videlicet: id Cicero intelligit, cùm ait senectutẽ diuturnitate extingui. alterum violentiam, σβέσιν, id est, extinctionem: id frangẽdi verbum apud Ciceronem significat. Verbum enim extinguendi, aliud significatum hoc loco apud Ciceronem habet. nempe vt cùm lumen fomento destitutum, paulatim euanescit, & quasi expirat, nõ flatu, aut alterius rei impetu deletur & abrumpitur.

BALDVINVS. Nam quos ait Cæcilius Comicus stultos senes) legendum es-

se, comicos stultos senes, intelligi potest ex dialogo de Amicitia, vbi duo versus integri extant.

Tertia vituperatio senectutis.

Sequitur tertia vituperatio senectutis, quòd eam carere dicunt voluptatibus. O præclarum munus ætatis, si quidem id aufert nobis, quod est in adolescentia vitiosissimum? Accipite enim optimi adolescentes, veterem orationem Archytæ Tarentini, magni in primis & præclari viri, quæ mihi tradita est cùm essem adolescens Tarenti cum Q. Maximo. Nullam capitaliorem pestem quàm voluptatem corporis, hominibus dicebat à natura datam, cuius voluptatis auidæ libidines temere & effrenatè ad potiundum incitarentur. Hinc patriæ proditiones, hinc Rerumpublicarum euersiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci: nullum denique scelus, nullum malum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret: stupra verò, & adulteria, & omne tale flagitium, nullis aliis illecebris excitari, nisi voluptatis. Cumque homini siue natura, siue quis deus, nihil mente præstabilius dedisset, huic diuino muneri ac dono nihil tam esse inimicum, quàm voluptatē. Neque enim libidine dominante, temperantiæ locum esse omnino: nec in voluptatis regno, virtutē posse consistere. Quod quò magis intelligi posset, fingere animo aliquem iubebat tanta incitatum voluptate corporis, quanta percipi posset maxima: nemini censebat fore dubium, quin tandiu dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset. Quocirca nihil esse tam detestabile, tamque pestiferum, quàm voluptatem. Siquidem ea cùm maior esset atq; longinquior, omne animi lumen extingueret. Hæc cum C. Pontio Samnite. patre eius, à quo Caudino prælio Sp. Posthumius, & T. Veturius Coss. superati sunt, locutum Archytam Nearchus Tarentinus hospes noster, qui in amicitia populi Rom. permāserat, se à maioribus natu accepisse dicebat, cùm quidem ei sermoni interfuisset, Plato Atheniensis, quem Tarentum venisse L. Camillo, Appio Claudio Coss. reperio. Quorsum hæc? vt intelligatis, si voluptatem aspernari ratione & sapientia nō possumus, magnam habendam senectuti gratiam, quæ effecerit, vt non liberet quod non oporteret: Impedit enim consilium vo-

Oratio Archytæ contra voluptatem.

Menti voluptas inimica.

Notanda historia.

Plato quo tempore Tarentum venerit.

luptas rationi inimica, ac mentis (vt ita dicam) perstringit oculos, nec habet vllum cum virtute commercium. Inuitus quidem feci, vt fortissimi viri T. Flaminij fratrem L. Flaminium è senatu eiicerem, septem annis postquam consul fuisset: sed notandam libidinem putaui. Ille enim cùm esset consul in Gallia, exorhatus est in conuiuio à scorto, vt securi feriret aliquem eorum qui in vinculis essent damnati rei capitalis. Hic Tito fratre suo censore (qui proximus ante me fuerat) elapsus est. mihi verò & Flacco neutiquam probari potuit tam flagitiosa & tam perdita libido, quæ cum probro priuato coniungeret imperij dedecus. Sæpe à maioribus natu audiui, qui se porrò pueros à senibus audiuisse dicebant, mirari solitum C. Fabricium, quòd quum apud regem Pyrrhum legatus esset, audiisset è Thessalo Cinea, Athenis quendam esse, qui se sapientem profiteretur, eumque dicere, omnia quæ faceremus, ad voluptatem esse referenda. Quod ex eo audientes, M. Curium, & T. Coruncanum optare solitos, vt id Samnitibus, ipsique Pyrrho persuaderetur, quo facilius vinci possent, cùm se voluptatibus dedissent. Vixerat M. Curius cum P. Decio, qui quinquennio ante eũ consulem se pro Republica quarto consulatu deuouerat. Norat eundem Fabricius, norat Coruncanius. Qui tum ex sua vita, tum ex eius (quem dico) P. Decij facto, iudicabant esse profectò aliquid natura pulchrum atque præclarum, quod sua spõte peteretur, quodque spreta & contempta voluptate, optimus quisque sequeretur. Quorsum igitur tam multa de voluptate? quia non modò vituperatio nulla, sed etiam summa laus senectutis est, quòd ea voluptates nullas magnopere desiderat.

γνώμη.

Detestabile scelus à L. Flaminio factũ ob voluptatem.

Fabricius.

Pyrrhus.

Epicurus philosophus.

P. Decius se pro Repub. deuouit.

ERASMVS. Quanta percipi potest maxima.) Hanc sermonis figuram & antenotauimus. In Gallia exhortatus est à scorto.) Si locus mendo vacet, exhortatus est dixit passiuè: sed exemplaria castigatiora habent exoratus, pro exhortatus. Damnati rei capitalis.) Damnati capitis vsitatius est: damnati rei capitalis hoc venustius quo rarius.

CONFVTATIO III.

BETVLEIVS. Confutationis quidem munus est, calumnia quapiam affirmantis autoritatem eleuare. Sed quia etiam in disputationis progressu satis ridiculam exploden-

do fecit, satis impræsentiarum eos exsibilat, dum id quod sibi decessisse conqueruntur, tãta ipse congratulatione & sibi & aliis senectutem bene ferentibus applaudit, vt qui eam tandem molestiam deposuerint, quæ temperanti cuique grauissima est. Quod, vt commodius fiat, vtitur Architæ Tarentini, summæ autoritatis viri, chria. Cuius primum caput est, autoris commendatio, qua, quantum suo dogmati ponderis accedit, tantum è regione intemperantium assertio eleuatur. Tradita.) in manus, scripta nimirum: id quod Theodorus maiori energia expressit, ἐνεχείριζο. Nullam capitaliorem pestem.) Expositio chriæ. Capitaliorem pestẽ alio loquendi modo dicit, quàm infrà, rei capitalis damnatum. Theodorus ὀλεθριώτερον, metaphora à morbis ducta. medici ex Hippocrate & Galeno perniciosum vel lætalem ὀλέθριον interpretantur. Ponit enim Hippocrates, nouem morborum differentias: ὀξὺ acutum, κατοξὺ peracutum, κακόηθες malignum, χρόνιον diuturnum, μέσον medium, ὀλέθριον (quem Cicero hic capitalem vocat) πραϋστικὸς mitem, κινδυνῶδες periculosum, ἀκίνδυνον periculo vacuũ. ὀλέθριον autem Galenus in Definitionibus definit, νόσημα, τὸ πάντη πάντως ὄλεθρον ἐπιφέρον, ἤτι ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ, ἢ ἐν πλείστῳ. id est, maiorem subinde interitum, vel exiguo, vel longo tempore adferens. Cuius voluptatis auidæ.) Theodorus animæ legisse videtur, ἧς αὖ τὸ τῆς ψυχῆς ἐπιθυμητικὸν, &c. Hinc patriæ proditiones.) τῆς αἰτίας κεφάλαιον. Enumerat enim effectus ex voluptate natos. Patriæ proditiones.) Cuius exẽplum suprà de prodito Tarento indicauimus. Rerum publicarum.) Theod. πολιτειῶν genus, non speciem intelligit Hac enim ratione monarchia Romanorum propter Tarquinij libidinem, propter Appij Decemuiri furorem oligarchiæ, in libertatẽ popularem cõuersa est. Illecebris.) Theod. ἴυγξιν. Est autem ἴυγξ Hesychio φίλτρον, ἀπὸ ἴυγγος τοῦ ὀρνέου. atque hanc auem idoneam incantationibus. Vocari etiam κιναίδιον, eaque vti Venerem. Atque medicamina amatoria, ἴυγγας appellari. Cumque homini.) τοῦ ἐναντίου κεφάλαιον. Temperantiæ locum esse.) Theodorus, χώραν, cùm τόπον reddere potuerit. Sicut τόπον τῆς ἀπολογίας, id est, pro se dicendi facultatem sed ad voluptatis προσωποποιΐαν, adque regnum, ad quod Cato pauculis allusit verbis, clarius exprimere voluisse videtur. Temperantiam nempe ibi terrarum exulare, vbi voluptas fœda rerum potitur, adeò vt ne tantillum quidem agelli virtuti relinquatur. Voluptatis regiam, vena verè poëtica cecinit Marcellus Palingenius in Geminis: quẽ triuisse, meo iudicio, tam iuuabit, quàm ex veteribus alium quemlibet. Ponitur autem hæc allusio pro comparatione, quæ quintum τῆς χρείας caput est. Fingere aliquem.) Fictionis formula, quam Fabius prosopopœiæ speciem facit, ad euidentiam sermonis pertinet. Referri potest & ipsa ad comparationem. C. Pontio Samnite.) Herennij filio, patre longè prudentissimo nato: Liuius. Plinius de Viris illust. addit cognomen Thelesini. Hic ille est, qui optabat in ea se tempora reseruatum, quum Romani dona accipere cupissent. Offic. 2. Patreque eius.) Antiquior lectio habet, patre eius: quam etiam Theodorus secutus est, γεγονότι πατρός. In Caudino prælio.) Hoc prælium scribunt Liuius lib. 9. Decad. 1. Florus cap. 17. libri primi. Plinius de Viris illust. cap. 30. Orosius lib. 3. cap. 15. Meminerunt Cicero Offic. 3. & diuus August. cap. 17. libri de Ciuit dei tertij. Gellius lib. 17. cap. 21. Cæterùm Caudinarum furcularum τοπογραφίαν, vide apud Liuium. Publius Posthumius.) Antiquior lectio habet Spurius, quam Gaza quoque sequitur, & rectè. Quid quod Spurium Cicero ipse in 3. Offic. nominat. Sic Liuius ipse, & eius Abbreuiator. Consules.) Cùm iterum consules essent. Cicero Offic. 3. anno videlicet ab Vrbe condita ccccxxxiij. Malè ergo apud Orosiũ legitur cccCxxvi. quod per legem Annariam fieri minimè potuit, cùm iidem simul consulatũ gesserint anno cccCxxi. Superati sunt.) μείωσις, sub iugum missi, debebat dicere. Quẽ Tarentum venisse L. Aemylio, Appio Claudio Coss.) Manifestus error est. Metzlerus L.

Volumnium legendum censet. Sed qui hoc fieri potest, cùm Volumnius Appij Cos. cuius suprà mentio facta est, collega fuerit, anno ab Vrbe cōdita ccccxlvij hoc est xiiij. annis post Caudinam pacem. Taceo quod Laërtius scribit, Platonem obisse Olymp. cviij hoc est annis ante Volumnij consulatum ad minimum xl. Quantum ego cōiecturis colligo (cùm consulari Chronologia, hi simul Coss. non reperiantur) legendum esse, pro Aemylio Camillum. Nam ex Gellio colligimus, Platonem eo tempore ad Dionysium profectum esse, quo Philippus Amyntæ filius, Alexandri Magni pater, pauculis annis Macedonibus imperitasset, qui regnum adeptus est circa annum Vrbis conditæ quadringentesimum. Inde autem anno sexto, quo Valerius Coruinus, cum Gallo singulari certamine pugnauit: consules fuerunt Lucius Lurius, Furius Camillus, Appius Claudius Crassus. Facilis librariorum lapsus est, vt pauculis literis, iisque non prorsus immutatis, ex antiquo fortè exemplo Camillus in Aemylius mutatum sit. Nec malè congruunt Laërtius & Eusebius, si natalem obitumque Platonis ad calculum vocas. Licet illi natus sit octogesimaoctaua Olympiade, mortuus anno primo centesimaoctauæ Olympiadis. huius verò natus quidē anno vltimo, Olympiadis lxxxviij. mortuus autem anno primo, Olymp. cix. Quæ dissonantia exigua magis est, quàm quæ notari iurè debeat. Tempora propterea contulimus, vt coniectura suppetat, quonam tempore Plato Tarentum venerit. Et meo iudicio, Ciceronis locus non malè sic restitui potest. Quorsum hæc?) Subiectio, quæ subiungit causas à contrariis ductas, non sine sententiæ grauitate. Inimica.) πολεμία. Theod. quasi tu dicas, hostis, qua cum diuturnum & assiduum gerit bellum. Cuius prælium describitur à Prudentio in Psychomachia. Ac mentis, vt ita dicam, perstringit.) προσπαλήτει, perinde ac si insolentius sit dictum. Manet in metaphora militari. In congressu enim stratagema est, oculis tenebras offundere. Commercium.) à contractibus συναλλάγματα. Quæ vox non tantùm contractus nominatos vel innominatos significat, sed inducias, & cum hoste colloquia, quibus omnibus hic locus præclusus est. Videntur hæc velut μίμησις quædam eorum esse, quæ à Virtute & Voluptate apud Xenophontem coram Hercule dicuntur. Disertissima voluptatis cum virtute comparatio est apud Senecam libro primo de Vita beata.

Inuitus quidem.) Excusat censoriam seueritatem, simulque indicat magistratus decorū, cuius munus proprium est, intelligere, se gerere personam ciuitatis, &c. ne videatur pronus ad puniendum, & ex animaduersionibus quasi delectationem quandam capere. Omnis siquidē animaduersio & castigatio, vt in primo Offic. Cicero docet, contumelia vacare debet, neque ad eius qui punit aliquem, aut castigat, sed ad Reipublicæ vtilitatē referri. Vt fortissimi) γενναιοτάτε, Theod. vt intelligas eum demum generosum, qui fortis. Septē annis.) Qui Coss. fuit anno DLXII. Atque sic ratio congruit, vt septimus annus in Catonis censuram cadat. Notandam.) Notare, est notas ascribere. Liuius eadem de re loquens: Patrum memoria institutum fertur, vt censores motis è senatu ascriberent notas. Theodorus ἀτιμῶσαι dixit. Hinc ἄτιμοι priuatiua compositione dicti sunt, qui infamia notati sunt. Nam & τιμὴ honorem, τίμημα item & τίμησις, notam censoriam inter cætera significat. Sicut τιμήτης quoq; censor est, magistratus tam moribus quàm facultatibus censendis constitutus, qui vt in ordinē capita redigit, ita capite diminuit. Ille enim cùm esset consul in Gallia.) Historiam scribentes, Liuius libro 9. Decadis 4. Plutarch. in Catone & T. Flaminio, mirificè variant. varietatem suo loco videbimus. A scorto.) Scortum dicit, de sexu masculo. vt etiam Liuius hoc ipso loco: Inter cætera obiecit ei Philippum Pœnum, carum ac nobile scortum. Item, Inter cuius sermonem Quintius scorto, &c. Domitius item Cæsar Antonium superioris Germaniæ curatorem scortum appellauit, vt de eo Sex. Aurelius scribit. Plutarchus in Catone μειράκιον οὗ τῆς παιδικῆς ὥρας ἑταιρῶν ἀναλαβὼν ὁ Λεύκιος. Et in Flaminio, τούτῳ συνῶν

μειράκιον ἐρώμενος. Theod. παρακέκληται πρὸς τὸ ἐρώμενον ἐν συμποσίῳ. ἐρώμενος autem & amasium significat, & amicum scorti, id est, τὰ παιδικὰ, καὶ ὃν ἑταῖρος ἐρῶντα, καὶ ἐρώμενον ὑπ' αὐτοῦ. Budæus in Comment. ἑταιρεῖν quidem Græcis autoribus idem significat, quod Latinis scortari: differt tamen propriè à πορνεύεσθαι, vt in hoc opus ipsum, in illo tantùm concupiscentia denotetur. Puero nomen suprà ex Liuio, Philippo Pœno diximus: quem teste Plutarcho, adeò deperibat, vt siue exercitus ductaret, siue prouincias administraret, ab eius nunquam latere discederet. Lucius apud imperatorem, honore & gratia tantùm valuit, quantùm ex potioribus amicis & domesticis quisquam. In conuiuio.) cùm vino incaluissent, & cùm (vt Plutarchus ait) ex more accumberet. Exhortatus.) Alius subinde atque alius blandimentis aduersus hominem vsus, perque lasciuiam (vt Liuius inquit) cauillatus, exprobrare consul persæpe solitus, quod sub ipsum spectaculum gladiatoriũ abductus ab Roma esset, vt obsequium amatori iactaret, licet summo desiderio hominis mactationi, quod nunquam contigerit, interesse cuperet. Aliquẽ eorum qui in vinculis.) Lucius, vt scribit Plutarchus, Mutuis blanditiis, vel (vt ipsius verbo vtar) ἀντιφιλοφρονούμενος, quæ illi grata essent, dixit, Ne mihi tristis assideas: equidem medebor tibi. imperatque vnum ex iis qui capitis damnati erant, ad se in conuiuium adduci, ministroque cum securi accersito, amasium denuò interrogans, num hominem percuti spectare cuperet? qui cùm se velle respõderet, hominis collum truncare iussit. Rei autem huius confirmandæ, hunc Ciceronis locũ in testimonium Plutarchus vtroque loco nuncupatim citat. Liuius autem, nunciatum in cõuiuio scribit, nobilem Boium cum liberis transfugam venisse, conuenire Cos. velle, vt ab eo fidem præsens acciperet. introductum in tabernaculum, per interpretem alloqui consulẽ cepisse. Inter cuius sermonem Quintius scorto, Vis tu, inquit, quoniam gladiatorium spectaculum reliquisti, iam hunc Gallum morientem aspicere? Et cùm is vix dum seriò annuisset, ad nutum scorti Cos. stricto gladio, qui super caput pendebat, loquenti Gallo caput primùm percussisse: deinde fugienti, fidemque populi Romani, atque eorum qui aderant, imploranti, latus transfodisse: atque hoc in oratione Catonis scriptum extare, Liuius commemorat. Addit idem Liuius, Valerium Antiatem, vt qui nec Catonis orationem legisset, & fabulæ tantùm sine autore editæ credidisset, aliud argumentum, simile tamẽ libidine & crudelitate peregisse. Rei capitalis.) Theod. ἵνα τῶν ἐν δεσμοῖς κατακρίτων ἐπὶ θανάτῳ. Plutarchus in Catone, κελεύσας ἕνα τῶν ἐπὶ θανάτῳ κατακρίτων εἰς τὸ συμπόσιον ἀχθῆναι. Sic enim legendum censeo. Et in Flaminio, κελεύσας ἕνα τῶν καταδίκων ἐκ τοῦ δεσμωτηρίου προαχθῆναι. κατάδικος enim inter cætera idem significat, quod κατάκριτος. Franciscus Barbarus apud Plutarchum, Ciceronis elegantiam expressit. Hic Tito fratre suo) Liuius ait, orationem Catonis in Quintium lõgè grauissimam fuisse: qua si accusator ante notam, non Censor post notam vsus esset, retinere Quintium, ne frater quidem Titus Quintius, si tum Censor esset, potuisset. Fuit autem is Censor cum M. Claudio Marcello quinquies Cos. filio, qui P. Scipionem Catonis æmulum senatus principem creauerunt. Plutarchus in Flaminio. Mihi verò Flacco.) Cato hac animaduersione plurimùm inuidiæ conflauit, fratrisq; Titi odium in se prouocauit acerrimum, adeò vt Quiritum fidem contra Catonis seueritatem, lachrymis imploraret Cato, Lucio sponsione oblata inficiandi locum, si non vino & venere amens in sanguine humano luserit, concessit. Is conscientia tortrice certissima confusus, tacendo crimen confessus, à populo iure notatus, iudicatus. Aliquando autem tempore pòst, in imis theatri gradibus conspectus, sui abiectione populo commiserationem mouẽs, magnis acclamationibus in superiores theatri partes, adeòque consularium gradum receptus est. Porrò.) Nota porrò, pro retro. μαρτύρια τῶν παλαιῶν, locus Chriæ septimus. Similis est in Lælio. Verum ergo illud est, quod à Tarẽtino Ar

bita, vt opinor, dici solitum, nostros senes commemorare audiui, ab aliis senibus auditum.

E Cynea Thess.) Demosthenis auditor, imitator que, tantæ eloquentiæ vir, vt plures ciuitates sua facundia, quàm Pyrrhus armis superasse creditus sit, atque ob hoc à Pyrrho in magno precio habitus. Hic ille Cyneas est, qui Romanorum senatum regum consessum, vel vt Iustinus inquit, regum vrbem: vel vt Florus, Vrbem templum, senatum verò regnum sibi visum responsitauit de quo, vt hæc ipsa, ita multa alia apud Plutarchum in Pyrrhi vita leguntur. & apud Valerium lib. 4. capite de Continentia: qui tamen hanc imprecationem non ad Curium & Coruncanum (quos ferè Cicero copulat, & in Lælio inter se coniunctißimos fuisse testatur) sed ad ipsum Fabricium referunt. Titum Coruncanum.) Qui eo anno consul cum P. Valerio Leuino fuit, anno ab Vrbe condita cccclxxiij. Abbreuiator Liuij Epit. 13.

Vixerat M. Curius.) Isthæc commemoratio, prima fronte nihil aduersum facere, sed senile quiddam videri potest. Sed hi omnes quos enumerat, quia temperantia pollent, voluptatisque contemptores maximi sunt, exempla contra voluptatem rectè habentur. Cum Publio Decio.) filio videlicet, qui quartum consulatum cum Fabio Maximo Rutiliano quintùm cōsule gerens, se pro patria ad patris exēplum deuouerat, anno ccccl viij. Pater enim iam ante anno ccccxv. cum Manlio Torquato consul, se anathema pro patria fecerat. Fuit ergo Marcus Curius Dentatus cum P. Rutilio Cos. anno cccclxij. Deuouerat.) Theod. παρα-φράσει, quid deuouere sit, extulit, dicens eum εἰς ἑκούσιον σφαγὴν ὑπὲρ τῆς πολιτείας ἑαυτὸν δεδωκέναι. Deuouendi ritum scribit Liuius lib. 8. Decad. primæ, his verbis: illud adiciendum videtur, licere Consuli, Dictatori que & Prætori, cùm legiones hostium deuoueat, non vtique se, sed quem velit ex legione Romana scripta ciuem deuouere si is homo, qui deuotus est, moritur, probè factum videri: ni moritur, tum signum septem pedes altum, aut maius in terram defodi, & piaculum hostia cædi. vbi illud signum defossum erit, eò magistratum Romanum descendere, fas non esse. Sin autem se deuouere volet, sicuti Decius deuouit, ni moritur, neque suum, neque publicum diuinum purè faciet, qui sese deuouerit. Vulcano arma, siue cui alij diuo vouere volet, siue hostia, siue quo alio volet, ius esto. Telo super quod stans Cos. precatus est, hostem potiri fas nō est. si potiatur, Marti suo Vætauralibus piaculum fieri. Vide ad hæc Alexandrum ab Alexandro lib. Genialium dierum 3 cap. 22. Concepta verba, quibus dictatores imperatores que vrbes, exercitus que deuouere soliti sunt: legis apud Macrobium lib. 3. cap. 9. Cæterùm Decij filij deuotio est apud Liuium lib. 10. Decad. 1. Flor. lib. 1. cap. 17. Valerium lib. 5. cap. de Pietate erga pat. Plinium de Viris illust. cap. 27. Apud Orosiū lib. 3. cap. 21. non modò numerus annorum dissonat, sed etiam Muræna pro Mure perperam legitur. Vtriusque, patris videlicet & filij, meminerunt Cicero de Diuin. lib. 1. Tusc. quæst. lib. 1. & aliis crebrò locis, August. de Ciuit. dei lib. 5. cap. 18. Norat eundem Fab. norat Coruuc.) è cuius deuotione sedecim annis alter cōsul, alter ad Pyrrhum legatus fuit. Pulchrum) Sic Proclus & de anima & dæmone ex Platonis Phædro (qui liber de Pulchro est) colligit, naturaliter bonū, atq; vicißim omne malū turpe, vsus in primis argumēto ab etymo. Nā τὸ καλὸν dictum esse, vel διὰ τὸ καλεῖν, quia prouocat alios, vel διὰ τὸ κηλεῖν, quia permulcet intuentes. Spreta.) Quia deformis, à loco cōtrariorū. Quorsum igitur tam multa.) Epilogi loco per subiectionē con futationi annectit: & dialogismo, id quod obscurū erat, declarat.

B A L D V I N V S. Quem Tarentum venisse L. Aemylio, Appio Claudio Coss. reperio.) Titus Liuius decadis primæ lib. 5. non ponit Appium cum Aemylio consulem, sed Lucium Furium Camillum, vt notauit Lod. Viues in D. Augustini de Ciuit. dei cap. quartū lib 8 In vetusto quodam codice L. Camillo legitur, vnde cum T. Liuij accedat auctoritas, non dubitabo legere L. Camillo. Inuitus quidam feci vt fortißimi viri T. Flaminij fratrem L.

Flaminium è senatu eiicerem.) Plutarchus in vita T. Quintij Flaminij huius loci meminit, rem totam fusius exponens, & Val. Max. lib. 2. cap. 4. & lib. 4. cap. 5. Mirari solitum C. Fabricium, quod cùm apud regem Pyrrhum legatus esset, audisset à Thessalo Cinea, &c.) Plutarchus in vita Pyrrhi hoc idem refert, & Val. Max. cap. 3. lib. quarti. qui C. Duillij meminit lib. tertij cap. sexto.

Caret epulis, extructísque mẽsis, & freq̃uẽtibus poculis. Caret ergo etiam vinolentia & crũditate, & insomniis. Sed si aliquid dandum est voluptati (quoniam eius blãditiis non facilè obsistimus diuinè enim Plato escam malorum voluptatem appellat, quòd ea videlicet homines capiantur, vt hamo pisces) quanquam immoderatis epulis careat senectus, modicis tamen cõuiuiis potest delectari. C. Duillum, M. F. qui Pœnos primus classe deuicerat, redeuntem à cœna senem sæpe videbam puer, delectabatur crebro funali, & tibicine: quæ sibi nullo exemplo priuatus sumpserat, tantum licentiæ dabat gloria. Sed quid ego alios? ad meipsum iam reuertar. Primùm habui semper sodales. Sodalitates autem me Quæstore constitutæ sunt, sacris Idæis magnæ Matris acceptis. Epulabar igitur cũ sodalibus omnino modicé. Sed erat tamẽ quidam feruor ætatis, qua progrediente omnia fiunt etiam in dies mitiora. Neque enim ipsorum conuiuiorum delectationem corporis voluptatibus magis, quàm cœtu amicorum & sermonibus metiebar. Bene enim maiores accubationem epularem amicorum, quia vitæ coniunctionem haberet conuiuium nominarũt: melius quàm Græci, qui hoc idem tum compotationem, tum concœnationem vocant. vt quod in eo genere minimum est, id maximè probare videantur. Ego verò propter sermonis delectationem, tempestiuis quoque conuiuiis delector: nec cum æqualibus solùm, qui pauci admodum restant, sed cum vestra etiam ætate, atque vobiscum: habeóq; senectuti magnam gratiã, quę mihi sermonis auiditatem auxit, potionis & cibi sustulit. Quòd si quem etiam ista delectant, (ne omnino bellum indixisse videar voluptati, cuius est etiam fortasse quidam naturalis modus) non intelligo, ne in istis quidẽ voluptatibus, ipsam carere sensu senectutem. Me verò & magisteria delectant à maioribus instituta, & is sermo, qui more maiorum à summo adhibetur magistro in pocu-

Voluptas malorum esca.

C. Duillus primus Pœnos classe deuicit.

Sodalitates Idææ sacræ.

lo: & pocula, ſicut in ſympoſio Xenophontis, minuta, atque rorantia: & refrigeratio æſtate, & viciſsim aut ſol, aut ignis hybernus, quæ quidem in Sabinis etiam perſequi ſoleo, conuiuiúmque vicinorum quotidie compleo, quod ad multam noctem quàm maximè poſſumus vario ſermone producimus. *Xenophontis ſympoſium.*

ERASMVS. Crebro funali.) Funale dixit tædam aut facem ex vnctis funibus contextam. Tum compotationem.) Græci latinè non loquuntur ſed Cicero interpretatur quod Græci dicunt συμπόσιον & σωύδειπνον. Magiſteria delectant.) magiſteria videtur dicere regna conuiualia.

BEDDKDETKS. Caret epulis.) A cauſis. Vinolentia.) Vinolentiam rectè inter morbos numerat, vt cuius tam multa incommoda Ariſtoteles in Problemat. Tmemate 3. connumerat, vt ſunt, πλεύριτις ἀγρυπνία, tremor, rigor, delirium, vertigo. Crudítate.) Huius enim cauſam ciborum copiã medici conſignant, & præſertim Galenus in Iſag. eo cap. quo de humoribus agit, ſanitatis rationem habendam docens: τὸ πλῆθος τῶν τροφῶν μόνον φυλαττόμενον ἐξ οὗ ἀπεψίαι γίνονται, ἀφ᾽ ὧν αἱ νόσοι συνίσανται. & Varro in Satyris Menippeis referente Gellio ait, πέμμασιν cum πέψει ſocietatem infidam eſſe. πέμματα autẽ Gellius bellaria interpretatur. Inſomniis.) Macrob. lib. 1. ca. 3. de ſomnio Scipionis, ἐνύπνιον, id eſt inſomnium diuidit, in animi fortunæ & corporis, quod Cicero hic generali nomine inſomniũ vocat. ſi temeto, vt Macrobius ait, ingurgitatus, aut diſtentus cibo, vel ex abundãtia præfocari ſe extimet, vel grauantibus exonerari, &c. Pace tua Theodore, liceat, priuata admiratione, qua te vſque ſuſpicio, poſita, libertate ſtudiorum profeſſoribus conceſſa vti. Patere precor, vt bona cum venia, cum Metzlero, haud nullius nominis viro, à te aliquo modo diſſentiam. Fateor à grammaticis differentiam obſeruari, qua inſomnium ſingulari numero id ſignificatur, quod Græcis tuis eſt ἐνύπνιον. vnde inſomnes noctes, plurali verò id, quod tu hic ἀγρυπνίαν tranſtuliſti. Sed Plinius negat Atlantes inſomnia viſere, & remedia quædam contra inſomnia præbet. Confunditur ergo differentia. quòd ſi Macrobio viro linguarum non minus quàm philoſophiæ docto, parum autoritatis tribuis, arbitrum rogabimus Stagiritam philoſophum multa conſuetudine tibi familiarem, ſed (per Deum immortalem) ne partibus faueat, timeo. Is enim de Somno & vigilia, cõcedit quidem ſomni cauſas cibum eſſe. ait enim, poſt cibum copioſum humorem, & vt ipſe vocat σωματῶδες, id eſt, craſſum, ſurſum ferri, quibus exhalationibus, cùm calidæ ſunt, caput grauatum ſomno facilè deprimi: & collapſo in profundum ſomnũ homine, ἔννοιαν & φαντασίαν ſuboriri, & hæc quidem pro noſtra parte incorruptus arbiter. Sed idem Problemate 16. Sectionis tertiæ, eatenus conſentit, ſi ὑγρότης illa ſit ἄπεπτος. Quòd ſi verò δυσπεπτος exiſtat, ἀγρυπνίαν, quo tu nomine inſomnia tranſtuliſti, hoc eſt, ἐνύπνιαν vel ἐγρήγορσιν ſuboriri ratiocinatur. Hæc nulli mortalium præiudicantes, nedum in Theodori viri conſummantiſsimi fraudem, annotaſſe videri volumus. Diuinus Plato.) Theodorus diuinè legiſſe aduerbialiter videtur, vt ad verbum Appellat, referatur. Exemplaria enim conſtanter habent δαιμονίως. Sed cur Ciceronis lectionem mutemus, non video cùm hoc Plato veterum ſcientiſsimorum hominum conſenſu mereatur, maximè in ea philoſophiæ parte, quæ diuinarum rerum rationes continet: adeò vt orthodoxis quoque patribus non longè à Chriſtianiſmo abeſſe videatur, de quo aliĳ alibi, maximè tamen D. Cyrillus libro

contra Iulianum apostatam 8. Quid? quod idem Cicero Platonem philosophorum deum appellat, cuius testimonij etiam D. August contra Pelag. lib. 4. meminit. Quòd si idem epitheton vrges, Plutarch περὶ παίδων ἀγωγῆς, δαιμόνιον appellat, quando nutricum fabulas castas esse oportere, ex 2. de Repub. contendit. καί μοι δοκεῖ, inquit, πλάτων δαιμόνιος ἐμμελῶς παραινεῖν ταῖς τίτθαις, μὴ τοὺς τυχόντας μύθοις τοῖς παιδίοις λέγειν. Lege de hoc plura apud Cælium libro primo, cap. 23. Quòd si Platonis diuinitatem ad genealogiam referre mauis, me philodicon non prouocabis, cùm, vt apud Laërtium legitur, vtrunque genus ad Neptunum referat. Adde quod D. Hieronymus aduersus Iouianum lib. 1. Speusippo, Clearcho & Anaxilide autoribus commemorat, Platonis matrem Perictionem phantasmate Apollinis oppressam, & sapientiæ principem non nisi de virgine editum. Escam malorum.) Refert Plutarchus in Catone, & Erasmus in prouerbio, Inescare homines. Si exemplum quæris, accipe socios Vlyßis, à Circe in porcos conuersos. C. Duillum M. filium.) Abbreuiator. Cn. Duillum vocat. Polybius γάϊος ἀϊλλιος λίβιος habet. vbi Perottus historiam & rationem latinã sequutus, C. Duellius reddidit. λίβιον autem, fortè propter naualem cõtra Pœnos victoriam. Polybius qui hanc historiam lib. 1 scribit, huius facti non meminit. Cæteri variant. Cicero hic dicit, eum hoc sibi sine exemplo sumpsisse. Valerius lib. 3. cap. 6. fidicinem tibicini addit. nec tamen meminit, hunc honorem illi à senatu habitum, quod neque ex Floro colligi potest, qui vnius eum diei triumpho non contentum, iußisse sibi prælucere funalia, & præcinere tibias, de primo bello Punico scribit. Abbreuiator, Plinius de Viris illust. & Leonhartus Aretinus de bello Punico primo: publicè hoc illi concessum esse testantur. Iuuat Sillij versus ex libro sexto adscribere:

Iustum Sarrana ducebat cæde triumphum,
AEquoreum iuxta decus & nauale trophæum,
Rostra gerens niuea surgebat mole columna,
Exuuias Marti donumque Duillius, alto
Ante omnes mersa Pœnorum classe, dicabat.
Cui nocturnus honor, funalia clara, sacerque
Post epulas tibicen adest, castosque penates
Insignis læti repetebat murmure cantus.

Statua insuper illi imposita est, cuius Plinius meminit lib. 34. cap. 5. M. filium.) Nõ illius qui ante decemuiratum Trib. Pleb. & in decemuiratu reficiendorum cõsulum autor fuit: sed illius fortè, qui C. Martio Rutilio, & Cn. Manlio Capitolino Coß. Trib. pleb. cum L. Menenio de vnciario fœnore rogationẽ tulit, de quo Liuius lib. 7. ab Vrbe cond. Sodalitates me quæstore.) Hic locus illum corrigit, quo suprà se Tuditano & Cethego Coß. prætura functũ scribit. Quo tempore Magnæ matris saxum delatum, Megalensesque ludi constituti sunt. Quæstor ergo tum (vt supra quoq; annotauimus) nõ prætor fuit. Sacris Idæis.) Sic Megalesia, vel μητρῷα vocat, quæ celebrari solita sunt pridie Idus April. de quibus Alexandri verba ex Genialium dierum lib. 6. cap. 19. apponam: Cumque, inquit, Idæam deorum matrem ex Peßinunte Romani aduocassent, præter munera & apparatus munificentiam ludos in honorem deæ instituerunt, qui præcipui inde habiti sunt, quos M. Iunius Brutus cum templo in Palatio dedicauit, qui etiam Scenici dicti, illosque Megalenses appellarunt, illorumque curam Aediles gerere, ac veris initio prælata diuitiarum pompa celebrare, permissaque ludendi licentia, personatos iuuenes, magistratuum priuatorumque munia & personas & facta dictaque imitari, & ante deæ simulachrum ludere, matronasque spectatæ pudicitiæ in his psallere, memoriæ datum est. Quibus diebus Romanæ consuetudinis erat, conuiuia & soda-

litates inuicem agere & comessari, victu tamen frugali & modesto: nec die tantùm, sed noctu epulari. Nanque hi ludi, præcipuè casti, magno fauore spectantiũ conspicui erant, ad quos seruos adire non licebat, illosque prætores & magistratus purpurati in toga & prætexta, atque in ornatu maximo celebrarunt. Quare purpura Megalensis in vulgi prouerbium venit. Quibus diebus stipem cogere, Idææ matris famulis proprium fuit, quod edicto cauebatur his verbis: Præter Idææ matris famulos, easque iustis diebus, ne quis stipem cogito. Et infrà: In quibus fuit constitutum, vt patricij Megalensibus mutitarent, plebs verò Cerealibus. Cicero de Legibus 1. Cõtra Megalenses ludos, grauissimè inuehitur D. Aurelius Augustin. lib. de Ciuitate dei 2. cap. 4. & lib. 7. cap. 26. Idæis.) ab Ida Phrygiæ monte, vnde etiam ipsa Idæa mater dicitur. Sicut Berecynthia quoque à Berecyntho monte, vel oppido, vbi colebatur. dicitur Cybele à rotunditate, à cubo, vt Martiano Capell. & Cælio Rhodig. placet. Rhea ἀπὸ τοῦ ῥεῖν, physica ratione. Opis, quod opem ferat frugibus. Quæ poëtæ de ea fabulantur lege apud Diodorum lib. 4. Boccat. lib. 1. cap. 8. Mythologiam scribit Luc. lib. 2. Quomodo autem Magnæ matris idolum Romam aduectum sit, scribunt Liuius lib. 9. Decad. 3. Ouidius 4. Fastorum. Sillius lib 17. Quo anno Mater deûm aduecta Romam est, maiorem ea æstate factam esse, quàm antecedentibus annis decem tradunt, testante Plinio lib. 18. cap. 3. De æde illi in Palatio consecrata lege Liuium lib. 6. Decadis quartæ. & Marlianum Epit: Topographiæ cap. 3. Lege ad hæc omnia Fenestel. cap. 12. de Sacerd. Rom. Pomp. Lætũ eodẽ tit. cap. de Gallis sacerdotibus. Mitiora.) vt poma. Corporis voluptatibus.) Hæc legẽti expeditiora fient, si diligenter cõtulerit ea quæ de voluptate Cælius disputat lib. Antiq. lect. 5. cap. 33. Vbi voluptatem corporis propriè assignat, & ab ea gaudia & lætitias hoc disiungit discerniculo, vt animi propria sint: gaudium à bonitate nunquam diuellit, lætitiam cõtrà malis communicat. Sed hæc omnia plenius, si affectuum cognationes, propagines, atque diuersitates apud Ciceronem in 4. Tusc. quæst. inspexeris, vel perspexeris potius. Bene maiores nostri.) Ab Etymologia. Idem Cicero ad Papyrium Pætum lib. Famil. epist. 9. hæc eadem aliquantò luculentius: sed mehercule, inquit, mi Pæte, extra iocum moneo te, quod pertinere ad beatè viuendum arbitror, vt cum viris bonis, iucundis, amantibus tui viuas. Nihil est aptius vitæ, nihil ad beatè viuendum accommodatius. Nec id ad voluptatem refero, sed ad communitatem vitæ, atque victus, remissionemque animorum, quæ maximè efficitur sermone familiari, qui est in conuiuiis dulcissimus, vt sapientius nostri quàm Græci illi συμπόσια, aut σύνδειπνα, id est compotationes, aut concœnationes: nos conuiuia, quod tum maximè simul viuitur. Non aliena ab instituto scribit Macrob. lib. Sat. 1. cap. primo. Sed habent etiã Græci quædam honestiora cõuiuiorum vocabula, quæ plusculum gratiæ habent. Cretenses enim τὰ συσσίτια vocant ἀνδρεῖα, Lacedæmonij φειδίτια, vel quod ea τῆς φιλίας & φιλοφροσύνης sint, λ in δ commutato: vel quod ad τὴν φειδὼ, id est parsimoniam: vel vt aliis placet, ἀπὸ τῆς ἐδωδῆς, quæ vox idem quod τροφὴ & δίαιτα significat. Autor Plutarch. in Lycurgo, qui notatu digna, nec ab instituto abiuncta inibi scribit. κοινὴ item, id est cœna, à communitate nomẽ habet. Voces quibus Theodorus hic vtitur, ferè inueniuntur apud Pollucem libro 6. cap. 1.

Habeo senectuti) προσωποποιΐα. Magnas gratias.) tãtùm abest vt incusem. Bellum indixisse.) renunciasse. Cuius est etiã fortassis quidam.) Sic Plato dialogo 8. de Republica voluptatem in necessariam & non necessariam diuidit: sicut suprà senectuti gratias egit, quæ effecerit vt non luberet, quod non oporteret. Et certè Gellius lib. 12. cap. 15. ex Tauri philosophi sententia voluptates ad προηγούμενα refert, in mediisque relinquit. neque enim vel in bonis, vel in malis per se iudicat. Carere sensu senect.) Ab adiunctis probabile docet, senectutem honesta & moderata voluptate non carere. Voluptatem quidem corporis tantùm

esse, superius ex Cælio didicimus sed philosophi ad animi quoque sensus referunt, quo de constat infrà clarius. Nam Stoici ἡδονὴν corporis & animi voluptatem appellant, apud Ciceronem de Finibus 3. Sed quod ad præsens institutum pertinet, eam corporeis sensibus subiectam esse, idque vel ex Epicureorum definitione,, qui apud Ciceronem de Finibus 2. definiunt ἡδονὴν, iucundum motum, quo sensus hiant. Sunt autem quinque hominum sensus, quos Græci αἰσθήσεις appellant, per quos voluptas quæritur: gustus, tactus, odoratus, visus, auditus. Ex his omnibus quæ immodicè voluptas capitur, ea turpis atque improba existimatur. Sed enim quæ nimia ex gustu atque tactu est, ea voluptas sicuti sapientes viri censuerunt, omnium rerum fœdissima est, eosque maximimè qui duabus istis beluinis voluptatibus sese dediderunt, grauissimi vitij vocabulis Græci appellant ἀκρατεῖς. Venereos quidem, ἀκολάστους. Cupediaria verò partim mouet linguam, partim gulam. Vnde Philoxenus gruis collum à dijs immortalibus dari cupiebat. Istæ autem voluptates duæ, gustus atque tactus, id est libidines, in cibos atque in Venerem prodigæ, solæ sunt hominibus communes cũ bestijs. & idcirco in pecudum, ferorumque animalium numero habetur, quisquis est his ferinis voluptatibus præuinctus. cæteræ ex tribus alijs sensibus proficiscentes, hominum esse tantùm propriæ videntur. Hæc Aulus Gellius Noct. Att. lib. 19. cap. 2. & Macrobius lib. Satur. 2. cap. vlt. ex Aristotelis Problematum sectione 29 quæst. sept. Ad quam diuisionem Cato hic respexisse videtur, qui sibi gratulatur, quod ab his duobus teterrimis grauissimisque morbis liberatus sit est enim reuera morbus, venerea rabies. vel Hippocratis diuina viri scientia, testimonio, qui τὴν συνουσίαν εἶναι μικρὰν ἐπιληψίαν, hoc est comitialem dixit. quia ergo hæc tota disputatio cõfutatione constat, nec aliud remouendis argumentis commodius instrumentum est, quàm diuisio sensuum enumeratione Beluinam voluptatem à moderatione remouet. De voluptate, lege plura apud Aristotelem lib Ethic. 7. Multa philosophorum de voluptate dogmata collegit Gellius lib. 9. cap. 5. Me verò magisteria.) Theodorus, συμποσιαρχίαι, id est, talia conuiuia in quibus magister eligebatur, qui solebat egregias historias & lepida dicta memorare, qui Græcis συμποσίαρχος dicitur: qui non is est qui conuiuas inuitat, qui quidem συμποσίου ἄρχων dicitur: sed qui in communi conuiuio vel sorte, vel suffragio electus, conuiuiũ administrat. de quo Pollux lib. 6. cap. 1. Poculum.) Generale est κύλιξ, qua voce Theodorus vsus est εἰδικώτερον. Et Lazarus colligit, calicem eam tantùm poculi partem esse, quæ vinũ continet. Certè metonymia hoc loco est: quia vinum, non poculum intelligit. Cæterùm de comessationum apud Græcos origine, Aristot. lib. 7. Polit. cap. 10. De varijs conuiuiorum vocabulis, Cælius lib. 14. cap. 57 Atque rursus de varijs poculorum generibus lib. 15. cap 6. Xenophontis.) Perrorantia pocula intelligit, inter ipsa pocula sobrietatem. quippe inũdantibus, non roratim stillantibus inebriamur. Quæ ego nostrate lingua esse puto, ængsterlin. Est autem apud Xenophontem comparatio, qua vini vsus commendatur ab eo, quòd tristes quidem animas haustum demulcet, hilares vt oleum flammas excitat: nec secus id quidem quàm in plantis frugibusque è terra nascentibus fieri solet, quas imber inualidus ita prosternit, vt cùm se erigere nequeant, auræ flatu destituta suffocatione citius putrescant, quàm ad maturitatem perueniant, sin autem auræ tantum, quantum humoris hauriant, secunda Cerere germinant. Eadem in conuiuiis quoque ratio est. Si enim potum nimis largum infundamus, confestim nobis & corpora, & ratio pereunt. ita vt nec pulmo, nec lingua, neque vlla alia corporis portio suum officium rectè faciat. At si minutis atque rorantibus poculis vtamur, fiet vt nec vino obruamur, & animus non minus lætitia quàm corpus vino humectetur. Quæ quidem in Sabinis.) Habuit is agrum Sabinum paternum, in quo antequàm ad militiam ac Rempublicam se contulit, vixisse traditur, teste Plutarcho, &c. Conuiuiumque vicinorum.) Men-

ſam enim maximè amicorum parentem ac procreatricem exiſtimauit, vt de eo in eius vita teſtatur Plutarchus. Sed autoris ipſius verba quæ huc admodum faciunt, ſubnectam: ἦν δὲ καὶ τὸ δεῖπνον ἐν ἀγρῷ φιλέστερον. ἐκάλει γὰρ ἑκάστοτε τῶν ἀγρογειτόνων καὶ περιχώρων τῶν ... καὶ συνδιῆγεν ἱλαρῶς. οὐ τοῖς καθ᾽ ἡλικίαν μόνοις ἡδὺς ὢν συγγενέσθαι καὶ ποθεινός, ἀλλὰ καὶ τοῖς νέοις, ἅτε δὴ πολλῶν μὲν ἔμπειρος πραγμάτων γεγονώς, πολλοῖς δὲ πράγμασι καὶ λόγοις ἀξίοις ἀκοῆς συντετυχηκώς, τὴν δὲ τράπεζαν, ἐν τοῖς μάλιστα φιλοποιὸν ἡγεῖτο. *&c De comeſſationibus lib. 7. cap. 10. Polit. Vario ſermone.) Qualis conuiuiorum ſermo eſſe debeat, docet Plutarchus in Cleomene (vbi multa de Laconica frugalitate) qui oblectare ſympoſia conſueuit ſermonibus feſtiuis quidem illis, ſed ſalibus caſtis, conditis, & à grauitate matura non alienis.*

At non eſt voluptatum tanta quaſi titillatio in ſenibus. Credo, ſed ne deſideratio quidē. Nihil autem eſt moleſtum, quod non deſideres. Bene Sophocles, cùm ex eo quidam iam confecto ætate quæreret, vteretur'ne rebus venereis: Dij meliora, inquit: libenter verò iſtinc, tanquam à domino agreſti & furioſo profugi. Cupidis enim rerum talium, odioſum fortaſſe & moleſtum eſt carere: ſatiatis verò & expletis, iucundius eſt carere. Quanquam non caret is, qui non deſiderat. Ergo non deſiderare dico eſſe iucundius, quàm frui. Quòd ſi iſtis ipſis voluptatibus bona ætas fruitur, libentius primùm paruulis fruitur rebus, vt diximus: deinde iis quibus ſenectus, etiam ſi non abundè potitur, non omnino caret. Vt Turpione Ambiuio magis delectatur, qui in prima cauea ſpectat, delectatur tamen etiam qui in vltima: ſic adoleſcentia voluptates propè intuens, magis fortaſſe lætatur: ſed delectatur etiam ſenectus procul eas ſpectans, tantùm quantùm ſat eſt. At illa quanti ſunt, animum, tanquam emeritis ſtipendiis libidinis, ambitionis, contentionis, inimicitiarum, cupiditatum omnium, ſecum eſſe, ſecumq; (vt dicitur) viuere? Si verò habet aliquod tanquam pabulum ſtudij & doctrinæ, nihil eſt ocioſa ſenectute iucundius. Mori videbamus in ſtudio dimetiendi cœli atque terræ C. Gallum familiarem patris tui Scipio. Quoties illū lux noctu aliquid deſcribere ingreſſum, quoties nox oppreſſit cùm mane cœpiſſet? quàm delectabat eum defectiones ſolis & lunæ multò nobis ante prædicere? Quid in leuioribus ſtudiis, ſed tamen acutis? Quàm gaudebat bello ſuo Punico Næuius? quàm Truculento Plautus? quàm Pſeudolo? Vidi etiam ſenem Liuium, qui

Pulchra Sophoclis reſponſio.

Emerita ſtipēdia Prouerbium. Senectutis voluptas.

Gallus aſtrologus.

Senes ſtudioſi.

Næuius. Plautus. Liuius Andronicus.

cum sex annis antequam ego natus sum, fabulã docuisset, Centone, Tuditanoque Coss. vsque ad adolescentiam meam processit ætate. Quid de P. Licinij Crasi & pontificij & ciuilis iuris studio loquar? aut de huius P. Scipionis, qui his paucis diebus pontifex maximus factus est? Atqui eos omnes, quos com memoraui, his studiis flagrantes senes vidimus. M. verò Cethegum, quem rectè Suadæ medullam dixit Ennius, quanto studio exerceri in dicendo videbamus, etiam senem? Quæ sunt igitur epularum, aut ludorum, aut scortorum voluptates cum his voluptatibus comparandæ? Atque hæc quidem studia sunt doctrinæ, quæ quidem prudentibus & bene institutis pariter cũ ætate crescunt: vt honestum illud Solonis sit, quod ait versiculo quodã, vt antè dixi, senescere se multa in dies addiscentẽ. Qua voluptate animi, nulla certè potest esse maior.

Suadæ medulla M. Cethegus dictus.

Honestũ Solonis dictum.

E R A S M V S. *Emeritis stipendiis.)* Emeritos milites vsitatè dicimus. Emerita stipendia rarius est. *Secumque, vt dicitur, viuere.)* Apparet idem esse cum illo, Tecum habita. *Fabulã elicuisset.)* Vide num locus mendo vacet, & num legendũ edidisset. *Versiculo quodam.)* Versus adhuc extat γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος, id est, Assiduè discens plurima fio senex.

B V D Æ V S. *At non est.)* Quatenus esus potusque ad voluptatem honestã, senilemque pertineant, dictum est, Venerem iam prorsus reiicit, quod quo animo faciat, ex eo intelligi potest, quòd senex vxorem duxit. Sunt autem hæc quoque τοῦ πιθανοῦ. Verisimile enim est, senium à Venere alienum esse. *Bene Sophocles.)* Exemplum hoc (vt pleraque Ciceronis) ex Platone desumptum, suprà ostẽdimus, cùm de sermonis statu ageretur. Cicero Platonis ordinem interrumpens, loco sibi congruo hoc responsum inseruit. Si ergo libet ipsius Platonis verba legere, legito. Loquitur ibi Cephalus, qui se cum Sophocle nonnũquam fuisse testatur. καὶ δὴ καὶ σοφοκλεῖ ποτε τῷ ποιητῇ παρεγενόμην, ἐρωτωμένῳ ὑπό τινος, πῶς ἔφη ὦ σοφόκλεις ἔχεις πρὸς τἀφροδίσια; ἔτι οἷός τ' εἶ γυναικὶ συγγίγνεσθαι. καὶ ὅς εὐφήμει ἔφη ὦ ἄνθρωπε, ἁσμενέστατα μέντοι αὐτὸ ἀπέφυγον, ὥσπερ λυττῶντά τινα καὶ ἄγριον δεσπότην ἀποφυγών. Quæ verba Cephalus tanquam opportunè dicta celebrat, rationemque subiungẽs: πανταπάσι γὰρ (inquit) τῶν γε τοιούτων ἐν τῷ γήρᾳ, πολλὴ εἰρήνη γίνεται καὶ ἐλευθερία. Sophoclisque verba clarius exponens, μαινομένους δεσπότας ait esse τὰς ἐπιθυμίας, quæ in senectute sua sponte cessant. Sed hoc est deseri à vitiis, non vitia deserere. Meminit eiusdẽ Valerius lib. 4. cap. 3. & Plutarchus de Repub. à senibus administranda. *Quàm frui.)* Seneca de Vita beata, dicit se vti, non frui voluptatibus. *Quòd si.)* Docet impossibile esse, senẽ voluptatibus frui, idque comparatione ætatum. *Vt Turpione Ambiuio.)* Comparatione docet, senectuti, etiamsi non per omnia, certè aliquo modo possibile, voluptate frui. Proprio autem Comœdi nomine, pro quouis vtitur, idque per antonomasiam. Is enim tum temporis cum L. Attilio Prænestino, L. Sergio, & aliis floruit, quibus ipse præluxit. *Cauea.)* pro theatro, sicut in Amicitia dictum est. Vergilius in octauo,

Confessu caueæ magnis Circensibus actis.

Quia tum temporis theatra nondum extructa fuerũt, sed in caueis spectabatur. vel, vt alij volunt, caueæ temporaneæ fuerunt theatra, complectentia hominum octoginta millia. *Tanquam emeritis stip.) Repetit metaphoram, qua suprà dixit, se voluptati non omnino bellum indixisse. sed audaciorem translationem modo oratorio per similitudinem explicat.* *Emeritis stip) μισθοφορεῖν πεπαυμένον, Theodorus: à mercendo ære stipendiisque faciendis immunem. Vide* Comment, *Bud.* *Libidinis, amb.) Articulus τῶν παθῶν sine certo ordine, nisi quòd libidinem tanquam genus aliquod in acie collocasse videtur. Hoc totum negocium ex opinione quadam nascitur, quæ aut bonæ sunt, aut malæ. Bonis gaudium & lætitiam præsentia, voluntatem & libidinem futura subiungunt. sicut è regione malis ægritudinem præsentibus affectibus tribuunt, cautionem & metum futuris. Sed præsentibus bonis voluptas, meo iudicio, non malè additur, vel præponitur (si mauis) rectius, veluti genus suis formis. Sed ex his gaudium & voluntas cum ratione mouentur placidè, at lætitia animus inaniter, vt Cicero inquit, & effusè exultat. Libido τῆς βουλήσεως παρέκβασις aduersus rationem incitata, fræna non patitur. His inquam veluti fontem voluptatem constituamus, quæ pro sensuum varietate rationis fræna vel recipit, vel repudiat. Vt autem quid mihi velim, euidentius intelligas, præsentis loci negocium oculis rudius & planius subiiciemus:*

- *Voluptas est aut*
  - *Corporis. hæc diuiditur secundum sensus*
    - *Cum beluis communes.*
      - *Tactus, in Veneris titillatione, de cuius speciebus lib. 2. capite 2. de Generat. & Corr.*
      - *Gustus, in gula & lingua.*
    - *Hominis propriæ, sed & harum παρεκβάσεις sunt.*
      - *Auditus. Huc Cicero colloquia refert.*
      - *Visus. Huc agriculturæ delectatio referatur.*
      - *Olfactus.*
  - *Animi, cuius partes Platoni duæ*
    - *Rationis particeps, in hac ponitur tranquillitas.*
    - *Rationis expers, in hac ponuntur turbidi affectus.*
    - *Secundum has nascuntur affectus οἱ τ̃ δοξωμώτων.*
      - *His*
        - *Gaudium*
        - *Voluntas.*
      - *Illis*
        - *Lætitia*
        - *Libido.*

Cicero in 4. Tusc. quæst. voluptatem diuidit in

- *Delectationem, quam quinque sensibus subiicit, quorum suauitate animum demulcet, ac perfundit.*
- *Iactationem, definit voluptatem gestientem, quæ se insolentius efferat. quam definitionem de περιχαρείᾳ intelligo. Sed iactationis exempla, quæ Cicero adduxit, Plautus, Ennius, & cæteri, vt glorationem modestam habent, ita iactantia insolente carent.*
- *Maleuolentiam, definit voluptatem ex alterius malo, sine emolumento suo. Huc refero quæ suprà enumerauit, libidinem, ambitionem, contentionem, inimicitias. Si libidinis nomen non ἀσέλγειαν, sed odij, inimicitiarũ, discordiæ genus intelligas. Sed his oppositæ sunt, beneuolentia, φιλανθρωπία, concordia: quæ ex gaudio & voluntate fluunt, sicut illa ex libidine & lætitia gestiente.*

Secum esse) Dubitat Erasmus, an hic locus referendus sit ad Persianum illud prouerbiũ, Tecum habita. Mihi non alienum videtur, si metaphoram ad animum transtuleris, qui quasi conclamatis iam affectuum vasis, ad tranquillitatem se conferat, κατὰ σαυτῆς, vt Homerus inquit, ὅρ γε κομίζει. *Mori videbamus.*) Numerat honestæ iactantiæ exempla. Plurimũ autem delectationis ex fœtura nostra capimus, quia, vt Plinius Tacito scribit, suæ quisque inuentioni fauet: adeò vt etiam philosophi, qui contra gloriam scribant, sua nomina libris suis præfigere soleant. *Mori videbamus.*) Hyperbolen Græcus expreßit, per μόνον οὐκ, quo loquendi modo etiam Latini vtuntur in simili hyperbole. Terent. in Phorm. Solum non auri montes pollicens. *C. Gallum*) Sulpitium. Is cùm esset Lucij Pauli contra Persen legatus, vel vt Liuius & Plinius, trib. militum, cum superiore anno prætor fuisset, eclipsin lunarem Cos. iussu prædixit. Variè ab autoribus narratur. Scribunt historiam Liuius lib. 4 Decad. 5. Plutarchus in Paulo Aemylio. Valerius lib. 8 cap. 11. Meminit Plinius lib. 2. cap. 12. Quintilianus lib. 1. cap. 17. Hunc Cicero lib Offic. 1. à prudentia commendat. In Bruto, maximè hũc omnium nobilium græcis literis studuisse, oratorum in numero habitum, reliquisque rebus ornatum atque elegantem fuisse testatur. *In leuioribus.*) Poëticam mathematicus postbabet.

Quàm gaudebat bello Punico suo Ennius.) Theodorus quidem Ennius legit. sed liberalis illa Mediolanensis editio Næuius habet: nec malè fortaßis. nam apud Crinitum legitur, Næuium de bello Punico scripsisse. eique rei fidem facere, quod in eo bello stipendia Næuius fecerit. De Ennio hoc non legitur. *Plautus.*) Feruntur, inquit Gell. sub Plauti nomine comœdiæ circiter C. atque XXX. Sed homo eruditißimus Lælius quinque & viginti esse eius solas existimauit. *Truculento.*) à seruo trucibus moribus. *Pseudolo.*) Versus non patitur pseudulos, vt quidam secundum Theodorũ legunt. *Vidi etiam senẽ Liuium*) Andronicum videlicet. *Qui cum septem annos.*) Octo, si rationem secundum Chronologiam ineas, septem intercesserunt. *Cethego.*) Manifestum errorem Metzlerus nõ dißimulauit. Gaza, cùm ratio temporum non congrueret, Coß nomina omisit. Centone ergo pro Cethego legendum, admonente etiam in Chronologia Glareano: consentiunt Gellius & Cicero Tuscul. quæst primo, atque in Bruto, quantum ad Coß. nomina. Cæterùm annorum numerus variat. Glareanus in Bruto, quingentesimo pro quadringentesimo emendat. Sed mea Mediolanensis editio rectè quingentesimo habet: verùm in primo Tusc. quæst manifesto errore cccc x. legitur. Non grauabimur addere Attici sententiam, quam in Bruto refert: Atticus, inquit, à Qu. Maximo quintum Coß. capto Tarento scripsit, Liuium annis XXX post eum (Ennium) fa

bulam docuisse, & Atticus scribit, & nos in antiquis commentariis inuenimus. Docuisse autem fabulam annis post XI. C. Cornelio & Qu. Minutio Coss. ludis Luctatiis quos Salinator Senensi prælio vouerat, &c. Certè apud Liuium lib. 7. Decad. 3. legimus Liuium carmen Salinatore Cos. hoc est anno DXLVII. condidisse. quod virgines ter nouenæ per vrbem euntes ex decreto pontificum canerent. Verisimile ergo est, Liuium ad Catonis vsque adolescentiã peruenisse. Prior'ne autem Ennio, an posterior fuerit, non est huius quæstionis. Edidisset.) Theodorus διδάξας vertens, videtur Brutum inspexisse, vbi legitur: Liuium fabulam docuisse. Sed & Mediolanensis editio, edocuit habet. Quid de P. Licinij Crassi.) Qui eo anno consul fuit, cùm Magnæ matris idolum Romam accersitum est. His duobus in 3. de Oratore connumerat T. Coruncanum, cùm de iureconsultorum officio loquitur. Hæc fuit P. Crassi illius veteris, hæc T. Coruncani, hæc proaui generi mei (verba Crassi sunt) Scipionis prudentissimi hominũ sapientia, qui omnes pontifices maximi fuerunt, vt ad eos de omnibus diuinis atque humanis rebus referretur, idemq́ue & in senatu, & ad populum, & in causis amicorũ, & domi & militiæ consilium suum præstabant. De Crassi iuris prudentia libro de Orat. 1. fusius. Meminit horum Pomp. lege 2. ff. de Origine iuris. M. verò Cethegum, quem rectè Suadæ medullam.) Theod. μελίγηρυν. Hoc loco malo Politiani quàm meam sententiã promere. Notat is Gazæ versionem in Miscellaneis cap. 91 his verbis: Libellum Ciceronis aureolum de Senectute Theodorus idem Gaza non incõmodè profectò, nec infeliciter vertit in Græcam linguam. Sed est in eo quoque (ne quid grauius dixerim) paulò nonnunquam indiligentior. illud interim pro argumento sit, quod ait, strictim Cicero M. Cethegum ab Ennio Suadæ medullam dictum, vocabulũ illud Suadæ medullam μελίγηρυν Theod. quasi tu dixeris dulciloquum, interpretatur: cùm Cicero idem in Bruto locum hunc Ennij, verbaq́ue sic amplius exponat. Suadæ medulla, inquit, πειθὼ quã vocant Græci, cuius effector est Orator, hãc Suadam appellauit Ennius. Eius autem Cethegum medullam fuisse vult, vt quam deam in Periclis labris scripsit Eupolis sessitauisse, huius hic medullam nostrum Oratorem fuisse dixerit. Hactenus in Bruto Cicero. Quo apparet vtique, non intellectum à Theodoro locum. Neque enim μελίγηρυν debuerat, sed πειθοῦς μυελὸν interpretari. Hactenus Politianus. Est aut πειθὼ, vel Suada, vis illa & virtus persuadendi, quam Arist. δύναμιν appellat: Isocrates πειθοῦς δημιουργὸν, Latinorum alij potestatem, alij facultatem, Quintilianus vim. qui tamen eam declarationem sibi vix permittit. Versus Ennij ex eodem Cic. Bruto (si quis fortè requirat) appingam:

-Dictus ollis popularibus olim,
Qui cum viuebant homines, atque æuum agitabant,
Flos delibutus populi, & Suadæ medulla.

Non est huius loci, contentionem inter partes fortè sopitam, rursus excitare, quam Gellius lib. 12. cap. 2. contra Senecam mouerat. Non omnino πάρεργα leges apud Cælium, lib. 6. cap. 48. Erasmum in prouerb. Sedecim pedibus. Medullam) Nam quod optimum est, id natura videtur intimè recondidisse. Erasm. in prouerb. Mellis medulla.

B A L D V I N V S. Bene Sophocles, cum ex eo quidam iam effœto ætate quæreret, &c.) in quibusdam cod. legitur affecto. Hoc ex Platonis primo de Rep. sumptum antè docuimus. quod adducit Val. Max. cap. 3. lib. quarti. Vidi etiam senem Liuium, qui cum septem annis, antequam ego natus sum fabulam edidisset, Cetego Tuditanoq́ue Coss. &c.) In quodam codice scripto legitur, qui cum septimo anno antequam ego natus sum fabulam docuisset, Centone Tuditanoq́ue Coss. In alio quoque vetusto. qui cum sex annis antè quàm ego natus sum fabulam dedisset Centone Tuditanoq́ue Coss. Fr. Sylluis & Glareanus rectè ad-

monent Centone legendum, nō Cethego. Hic est C. Claudius Cento, Caeci F. cuius meminit Cic. in initio quaestionum Tuscul. & in Bruto, de Liuio hoc Andronico agens. Gaza Coss. nomina praeterit, vt & G Budaeus in Comment. linguae Graecae, citans hunc locum, quòd menda non vacare suspicarentur. vide Gellium in fine lib. 16. M. verò Cethegū quem rectè Suadae medullam dixit Ennius.) Idem dicitur in Bruto, Politianus Miscell. cap. 91. reprehendit Theod. Gazam, quòd Suadae medullam verterit μελίγηρυν, quasi tu dixeris dulciloquum. Raphael Volaterranus in anthropologia de Cethegis agens γλυκύγηρυν legit, vbi negat Theodorum Gazam sic vertisse Suadae medullam, quòd ignorasset verbum Ciceronis, sed vt nouū ipse conderet, quod magis vocabulum illud exprimeret. Nam Pitho nihil ad Suadae medullā, nisi quoad effectum persuasionis & dulcis elocutionis. Haec ille.

Venio nunc ad voluptates agricolarum, quibus ego incredibiliter delector: quae nec vlla impediuntur senectute, & mihi ad sapientis vitam proximè videntur accedere. Habent enim rationem cum terra, quae nunquam recusat imperium, nec vnquam sine vsura reddit quod accepit: sed aliàs minore, plerunque maiore cum foenore. Quanquam non modò fructus quidem me, sed etiam ipsius terrae vis, ac natura delectat. quae cum gremio mollito ac subacto semen sparsum excepit, primùm id occatum cohibet, ex quo occatio, quae hoc efficit, nominata est: deinde tepefactum vapore & complexu suo diffundit, & elicit herbescentem ex eo viriditatem: quae nixa fibris stirpium sensim adolescit, culmóq; erecta geniculato, vaginis iam quasi pubescens includitur. E quibus cum emerserit, fundit frugem spicae ordine structam, & contra auium minorum morsus munitur vallo aristarum. Quid ego vitium satus, ortus, incrementa commemorem? Satiari delectatione non possum, vt meae senectutis requiem oblectamentúmque noscatis. Omitto enim vim ipsam omnium quae generantur è terra, quae ex fici tantulo grano, aut ex acino vinaceo, aut ex caeterarum frugum aut stirpium munitissimis seminibus, tantos truncos ramósque procreat, malleoli, plantę, sarmenta, viui radices, propagines. nónne ita afficiunt, vt quenuis cum admiratione delectent? Vitis, quae natura caduca est, & nisi fulta sit, ad terram fertur: eadē vt se erigat, clauiculis suis quasi manibus, quicquid est nacta, complectitur: quam serpētem multiplici lapsu & erratico, ferro amputans coërcet ars agricolarum, ne syluescat sarmentis, & in omnes partes nimia fundatur. Itaque ineunte vere, in iis quae

Agriculturae laus.

Requietem legit Priscianus lib. 6.

relicta sunt, existit tanquam ad articulos sarmentorum ea quæ gemma dicitur, à qua oriens vua se ostendit: quæ & succo terræ, & calore solis augescens, primò est peracerba gustatu, deinde maturata dulcescit, vestitaque pampinis nec modico tempore caret, & nimios solis * defendit ardores. Qua quid potest esse tum fructu lætius, tum aspectu pulchrius? cuius quidem non vtilitas me solùm (vt antè dixi) sed etiam cultura, & ipsa natura delectat. Adminiculorum ordines, capitum coniugatio, religatio, propagatio vitium, sarmentorumque, ea quam dixi, aliorum amputatio, & aliorum immissio. Quid ego irrigationes, quid agri fossiones, repastitionésque proferam, quibus fit terra multò fœcundior? Quid de vtilitate loquar stercorandi? dixi in eo libro, quem de rebus rusticis scripsi, de qua doctus Hesiodus ne verbum quidem fecit, cum de cultura agri scriberet. At Homerus, qui multis vt mihi videtur, ante seculis fuit, Laërtem leniétem desiderium quod capiebat è filio, colentem agrum, & eum stercorantem facit. Nec verò segetibus solùm, & pratis, & vineis, & arbustis res rusticæ lætę sunt, sed etiá hortis pomariis, tum pecudum pastu, & apum examinibus, tum florum omnium varietate. Nec consitiones modò delectant, sed etiam insitiones, quibus nihil euenit agricultura solertius.

Gemma.

Defugit legit Gaza.

Homerus ante Hesiodum.

E R A S M V S. Existit tanquam ad articulos.) Eleganter dixit, gemmam existere, quæ emergit, & ad articulos dixit, pro iuxta articulos. In quibusdam legitur, in articulis.

B E D K L B T V S. Venio nunc à voluptat.) Transitio à voluptatibus studiorũ, ad voluptates agriculturæ. Vtrinque digressio. Neque Catonis institutum est, alterutrum pro dignitate laudare, sed saltem iudicare, quid, quantumq́ue delectationis inde capiatur senibus, sed ita vt ex ipsa narratione plus delectationis capere videatur. Et sanè literarum studia ad animi voluptatem referri propriè videri queant, nisi Xenophon agriculturam quoque ad animum transferre videatur, quæ quia oculos pascit, visus sensui rectè tribuitur. Sed eadem olfactum quoque florum fragrantia delibutum reddit, quod ne Xenophon quidem obticet, sed eo modo quo voluptates in vniuersum omnes ex sensibus corporeis ortæ, ad animi vsq, iucunditates penetrant, idq́ue ex ipsis definitionibus quæ extant, intelligi potest. Et mihi ad sapientis vitam) Columella quoque rem rusticam cæteris viuendi rationibus præferens, proximè sapientiam locat, eiusq́ue quasi consanguineam facit. Habet enim.) Præter Ciceronis rationem documẽto esse potest, quòd œconomia, cuius agricultura præcipua portio est, cum Ethica & Politica moralem philosophiam absoluit: nã sicut illic animi imperio, corporis obsequio magis vtimur: & magistratus Rempub. consilio administrat: sic paterfamiliâs non se;

miliæ modò, sed vt Verg. ait, imperat aruis. Adde illam quoque, quod bonus agricola & syderum cursus nouit, & meteora intelligit, & non exiguam rerum naturalium cognitionem habet. Sine vsura.) *Vsura pecuniæ propriè est, vt Pomp docet. l. vsura. ff. de verb. signific. In fructu non est: fœnus autem à fœtu dicitur, sicut τόκος, qua voce hic Theodorus vsurã reddit, à τίκτεσθαι, id est, pariendo, qui apud Aristophanem in Nubibus describitur belua quæpiam, quæ ex processu tẽporis argẽtum semper numerosiore fœtura progeneret. Hæc Alciat. Vtrunque ergo (vt pleraque) metaphoricè, alterum à sortis accessu, alterum à fœtu. cuius loco propriè Gaza ἐπικαρπίαν reposuit.* Minore.) *Comparatiui sine positiuorum relatione, sed reciproco respectu prolati.* Nõ modò fructus.) *Anthypophora, qua nõ modò vtilitatis studium obiectantibus, honestatem prætendit, sed etiam dum tantam admiratione naturæ virtutem suspicit, innuit se naturæ opificem celebrare, id quod illi lex naturæ dictitat.*

Gremio mollito & subacto.) *Subigere propriè agriculturæ vox. Columella: Censet exiguis vomeribus & dentalibus terram subigere. Item: Et inferiores penitus subacto solo, facilius capiant humoris alimentum. Vel si gremij metaphoram continuare voles, idem significat quod comprimere, & vitium offerre. Vnde etiam subagitare. Verg. lib. 2. Georg.*

Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Coniugis in gremium lætæ descendit, & omnes
Magnus alit, magno commixtus corpore, fœtus.

Occatum, ex quo occatio.) *Hermol. in Cast. hoc loco occæcatio legit, Occare, nostrate lingua egen. Plinius lib. 18. cap. 20. Aratione per transuersum iterata, occatio sequitur, vbi res poscit, crate vel rastro, & sato semine iteratio. Lege etiam Varronem lib. 1 cap. 19. de Re rustica. Est etiam vitium occatio sic rustici per catachresin appellant puluerationem, quam in frigidioribus regionibus faciunt, cum gleba in vineis refringitur, & resoluitur in puluerem. Nostri homines vocant rueren. Columella libro 11. Theod. βωλοκοπίαν vocat, de qua vide Pollucem lib. 7. cap. 14. Leontinus apud Constantinum lib. 2. cap. 22. videtur per τὸ ἐπισκάπτεσθαι voluisse occationem intelligere, nisi quod illic aut per homines, aut per boues fit.* Tepefactam vapore.) *νοτίδι fortè, quod notus simul & calidus & humidus est, quæ qualitates generationi maximè idoneæ sunt. Vaporem ergo generationi rectè Cicero assignat, ἔστι γὰρ ἀτμίδος μὲν φύσις ὑγρὸν καὶ θερμόν. Aristoteles μετεωρολογικῶν lib. 1. Verg. lib. 2. γεωργικῶν,*

Parturit almus ager, Zephyrique tepentibus auris
Laxant arua sinus, superat tener omnibus humor,
Inque nouos soles audent se gramina tutò Credere.

Herbescentem ex eo viriditatem.) *Theod. χλοερὰν πόαν, id est, herbã virescentem.* Fibris stirpium.) *Theod. ῥιζίοις, quod diminutiuum radicis est:* Vaginis iam quasi.) *Mollit metaphoram audaciorẽ. Pro huius loci explicatione annotabo ex primo Varronis libro cap. 48. In segetibus, inquit, frumentum, quod culmus extulit spica ea quæ mutica non est in ordeo & tritico tria habet continentia, granum, glumam, aristam, & etiam primitus spica, cùm oritur, vaginam. Granum dictum, quod est intimum solidum. Gluma, qui est folliculus eius. Arista, quæ vt acus tenuis, longa, eminet è gluma. Proinde vt grani theca sit gluma, & apex arista: arista & granum omnibus ferè notum, gluma paucis. Itaque id apud Ennium solum scriptum scio esse in Eubemeri libris versis. Videtur vocabulum etymon habere à glubendo, quod eo folliculo deglubitur granum. itaque eodem vocabulo appellant fici eius, quam edimus, folliculum. Arista dicta, quod arescit prima: granum à gerendo. Id enim seritur, vti spica gerat frumentum, non vt glumam aut aristam gerat: vt vitis seritur, non vt pampinum ferat, sed vuam. Spica autem, quam rustici, vt acceperunt antiquitus, vocant specam, & à*

spe videtur nominata. eam enim, quod sperant fore, serunt. Spica mutica dicitur, quæ non habet aristam, aristæ enim quasi cornua sunt spicarum, quæ primitus cùm oriuntur, neque planè apparent. in qua sublatent herba, ea vocatur vagina, vti qua latet conditus gladius. Illud autem summa in spica iam matura, quod est minus quàm granum, vocatur frit. quod in infima spica, ad culmum stramenti summum, item minus quàm granum est, appellatur vrruncũ.

Pubescens.) Theodorus copiæ certamen cũ Cicerone suscipiens, duobus participiis rem eloquitur prorsus synonymis, ἡβῶσά τε, καὶ ἰουλοφυοῦσα, vtrisque à pube ductis. Sic Plinius pubescentem vuam dixit. Quid ego vitium.) Ad ἀμπελουργίαν transitum facit. Sunt autẽ ἀφέσεως exempla, graphica sanè, perfectæque artis opera, quæ non modò partibus suis absoluta pinguntur, sed ex primis ipsorum principiis per legitimi naturalisque progressus incrementa ad tempestiuam maturitatem producuntur. Senectutis requiem.) Requietem legit Priscianus lib. 6. Omitto.) Occupatio. Quædam enim naturæ benignitate nascũtur, quædam cura hominum, atq; arte proueniunt. Plinius lib. 7. cap. 10 Columella lib. 3 ca. 1. Tãtos truncos ramosque.) vt etiam volucres cœli in ipsis nidos construant, vt de grano sinapis Euangelica parabola tradit. Sed Varro lib. 1. cap. 41. vt de aliis tardioribus, ita de ficeto surculos, quàm grana de fico obruere mauult, & vitium seminariis in prouinciis agricolas studere negat. Columella lib 3. cap. 14. nec vsum eos habere faciendæ viuiradicis: quin magis malleolos vsurpare. De seminibus vinaceis, lege Columellam eundem prioribus capitibus libri de arboribus. Qua de re Theophastus tum alibi, tum lib. 4. de Plantis ca. 1. Et Plinius lib. 17. cap. 10. recenset, quæ arbores ex semine nascantur. Malleoli.) Malleolus nouellus est palmes, innatus prioris anni flagello, cognominatusque à similitudine rei, quod in ea parte quæ deciditur ex vetere sarmento prominens, vtrinque malleoli speciem præbet. Columella lib. 3. cap. 6. Plinius libro 17. cap. 21. Solebat capitulatus vtrinque è duro surculus seri, eoque argumento malleolus etiam vocatur nunc. Et de arboribus cap. 3. Virgam malleolarem non amplius quàm sex gemmarum esse conuenit. Planta.) Metzlerus legit plantæ sarmẽta, lectionẽq; tanquam superfluam fastidit, generali fortè voce offensus. Theodorus φυτωτήρια, quæ vox etiam viuiradices significat. Ego sanè pro surculis recens consitis tantisper intelligam, dum alius quis certiora attulerit. Sarmenta.) ὦχρα Theodorus. Non inutilia putamina, & quæ à vitibus tanquam superflua ligna secantur. Quæ enim inde admirationis causa, præsertim in rei vinariæ generatione, & in cunabulis. Columella cap. 8. de arboribus: Cùm vitem inserere voles, optimi generis sarmenta fructuaria tum, cùm gemmas agere incipient, vento Austro à matre præcidito. Sarmentum quod inseris, de summa vite sit rotundum, bonis crebrisque nodis, & cætera quæ sequuntur. ὦχος Hesichio, ὁ μετὰ κλήματος ἀμπέλου, οἱ ὦχοι τὰ νέα κλήματα σὺν αὐτοῖς τοῖς βότρυσιν. Vites, traduces.) Offenditur Metzlerus hac quoq; lectione, Viuiradices legendum censens, id est, plantulas cum sua radice in aliud solum translatas, quas Budæus græcè φυτωτήρια dici testatur. Dissimulat Erasmus. Philelticus, vbi maxime dicendum est, maximè tacet. Theodorus cum Metzlero facere videtur, apud quem vna dictio est, αὐτόῤῥιζοι. Didymus apud Constantinum ἐῤῥίζους viuiradices nominat. lib. 4. cap. 2. lib. 5. cap. 15. Quæ lectio fortè ideo probari potest, quia etiamnum insationis loco consistit, cuius duo genera Columella tradit lib. 3 cap. 14 & Plinius lib. 17. cap. 22. Malleoli scilicet & viuiradicis, id est, surculis cum radice. Nisi vites traduces coniunctim per appositionem legere velis, quod tamen, quia ad propagationis negocium pertinet, impertinenter hic numeratur. Haud sanè philonicum me sentiet, qui vitis ridicas legendum censeat, de quibus Varro lib. 1. cap. 26. Florentinus apud Constantinum Cæs libro 4. cap. 11. χάρακας ridicas vocat. Malo tamen Metzleri lectioni subscribere, quanuis alij μοσχεύματα viuiradices interpretentur, qua

ueer Theodorus malleolos transtulit. Propaginis.) de hoc suo loco. *Vitis.)* Secunda pars, ortus. *Quæ natura caduca est.)* Caduca, non quo modo iureconsulti caduca bona, & caducas hæreditates, ad fiscum recidentes: nec vt Seneca, fortunam, dominium suum mutantē, caducam appellat: neque vt Gellius, poma caduca, id est prematura: aut Plinius caducum fructum dixit, de quibus alibi: sed ad casum prona, Theodorus εὐκατάπτωτος. de hoc Columella lib. 5. cap. 5. Plinius tamen lib. 14. cap 3. Nec orthampelos indiget arbore, aut palis, ipsa se sustinens, non item dactylides digitali gracilitate. De alligandis vitibus, lege eundem Columellā lib. de Re rustica 4. cap. 20. *Clauiculis.)* ἕλιξιν. Clauiculos Columella quoque vocat. Plin. clauiculas lib. 23. proœmio, vbi de vitis medicinis agit, fœm. gen. dixit. ἕλιξ ab ἑλίσσειν, id est, circunuoluendo, Græcis ad hæderam quoque refertur. Capreolos Gaza noster ex Theophrasto transtulit. Varro libro 1. cap. 31. ait: Vitem ex altera parte capream dictā, quod parit capreolum, id est cauliculus virens, intortus, vt cincinnus. is enim vites vt teneat, serpit ad locum capiundum, ex quo à capiendo capreolus est dictus. Pampini etiam dicti. Plinius: Sic palmites, nepotes, vuæ folia, pampini gignuntur. vbi ad differentiam pampinorum folia dixit, quæ propriè pampini dicuntur. *Quasi manibus.)* Quia brachia quoque habet, quin & capita, vitis, & cornua. *Ferro amputans.)* Theod. περιαιρουμένη. Vide Comment Budæi. *Ne syluescat.)* Columella lib. 5. Me autem, inquit, longus docuit vsus, multò vtilius esse primo quoque tempore falcem vitibus admouere, nec superuacaneis pati syluescere: sed eam quoque quæ primo summittetur, materiam ferro coërcendam censeo, vsque in alteram vel tertiam gēmam, quo robustiores palmites agat. Quis non suspicabitur Columellam ad Ciceronis verba respexisse? *Ineunte vere.)* Verg. 2. Georg.

Parturit almus ager, Zephyríque tepentibus auris
Laxant arua sinus, superat tener omnibus humor,
Inque nouos soles audent se gramina tutò
Credere, nec metuit surgentes pampinus austros,
Aut actum cœlo magnis aquilonibus imbrem:
Sed trudit gemmas, & frondes explicat omnes.

Ouid. lib. 1. Fast.

Omnia tunc florent, tunc est noua temporis ætas,
Et noua de grauido palmite gemma tumet.

Quæ gemma dicitur.) Necessaria metaphora est, instituta inopiæ causa, frequentata delectationis. Sicut luxuriem in herbis, & lætas segetes rustici dicunt. Cicero de Orat. 3. Quintil. lib. 8. cap. de Tropis. Theod. ὁ καλούμενος ὀφθαλμός. Plinius tamen inter gemmam & oculū differentiam facit lib. 17. cap. 21. Hæc, inquit, vocatur in vite gemma, vbi cespitem facit, antè verò quàm faciat, in concauo oculus, & in cacumine ipso germen. Oculos autem in arborum surculis propriè vocari, vnde germinant, docet ibidem Theophrastus lib. 1. Quod in cæteris nodus, ὁ ὄζος, sit, in vite gemmam, ὀφθαλμὸν, in arundine geniculum, τὸ γόνυ appellari ait. Articulos Theod. μέτωπα vertit, quæ vox spacium inter oculos situm significat. Hic internodia magis, & geniculatos nodos intelligo, licet Plinius articulis duobus internodia includat.

Vua oriens.) Theod. βότρυς, id est vua, error à librariis magis inscitia, & rei rusticæ ignorantia, quàm casu commissus. *Succo terræ.)* Causæ efficientes naturales. *Primo peracerba gustu.)* Lege Theophrastum lib. de Causis plantarum 6. cap. 7. Plinius lib. 15. cap 27. sapores omnibus succis cōmunes, numerat tredecim. *Tempore.)* tepôre, θερμῷ. *Calet.)* Communem errorem Metzlerus quoque sequitur. ἀμφιγεῖ, Theod. & emendatiora exemplaria Caret habent. *Defendit.)* Malo cum Gaza, defugit. *Qua quid potest esse tum fru*

ctu.) Varro lib 1 cap.4.agricolis duas metas proponit, vtilitatem & voluptatem: Vtilitas, inquit, quærit fructum, voluptas delectationem. Adminiculorum ordines.) Tertia pars, incrementum videlicet. per adminicula arundines primò intellige, quibus tenellæ vitiũ plantulæ alligantur fulciunturq́ue. deinde pedamenta vel ridicas adminiculum vocat etiam Columel multis locis, & Plinius lib. 4.cap.12. De ordinibus, lege Columellam eũdem lib.5.cap. 2.& 3. Capitum coniugatio.) Caput vitis est vltimum & productissimum flagellum, Columella lib.3 cap.10.Cæterùm de capitum coniugatione idem Columella lib.4.cap.17.legendus est, Plinius lib.17.cap.22. Religatio.) alligatio. Cato cap.33. Alligatoq́ue rectè, dum ne nimium constringas. Lege Columellam lib.4.cap.13.& 20.Pallad.cap.20. februarij. Plinium lib.17.cap.23. Propagatio vitium.) Cato cap.32. Columella lib.4.cap.15. Item de arboribus cap.7. Pallad. in Febr.cap.16. De propagine vniuersim vide Plinium lib.17.cap.13. Huc traduces pertinent, & viuiradicis translatio. Amputatio.) Huc pampinatio quoq; referenda. Columella lib.4. de his multa, Constantinus Cæsar lib.3.cap.4.& de arborum putatione Columella cap.10.& 11.eiusdem libri Palladius tit.15 Febr. Immissionibus.) προθέσεις Theod. hæc puto fieri, quando virga edita à matre sulco committitur, vulgo cynlegen quod vnum ex tribus propagandis generibus est apud Columellam, de insitione cap. de Arboribus 7. alij insitionem ἐμφυτείαν interpretantur, de qua inferius. Quid ego irrig.) Riguis quidem vites ali, Plinius docet lib.17.cap.26. Sed sequentia in genere dicta de omni plantarũ cultu. de rigatione lege Theophrast. libro 3.cap.1. Theodorus ἀρδείας Theophrast. ἀρδεύσεις. Agri fossiones.) Scobres & ablaqueationes huc referendæ sunt. per νεώσεσιν & γυρείας, quas voces Theod. παραφυτικῶς inseruit, nouationes, id est, nouellas vineas, quas Columella vocat, & scrobes intelligo. Renouellatur autem vinea, si non in copore aridos habet truncos, & flecti potest, factis sulcis optimè sternitur: Columella cap.6. de Arboribus. Et cum Theophrasto ῥιζοτομεῖν, ablaqueare, id est, æstiuas radiculas abscindere significat. Nihil prohibet, quin ῥιζοτομίαν Græcis idem sit, quod Latinis ablaqueatio. defossura Columella de Arboribus cap. 12. Repastinationesq́ue.) Theodorus βωλοστροφίας, id est, glebarum inuersiones. Pastinandi modum scribit Columella lib.3.cap.13.& 15.& 16. Itẽ lib.11.cap.2. Stercorandi.) Lege ergo Catonem cap.5.cap.29.& 36. Sed copiosius Theophrastus libro 3. Columella tum alibi, tum lib.2.cap.17. Plin. libro 17.cap.27. lib.18.ca.23. Constant. Cæsa. lib.2. cap.19. At Homerus qui multis.) Inutilis hæc quæstio Senecæ videtur, Homerus'ne an Hesiodus antiquior sit. Quia verò præclarissimi scriptores in ea re occupantur, suffragia pro vtraque parte pronunciata colligemus, & primùm ea quæ in Catonis sententiam pedibus iuerunt. Nec Herodotus quidem, neque Plutarchus in Homeri vita, quicquam de vtriusque ætate: sed hic in oratione consolatoria Hesiodum Homero, vt æstimatione, ita ætate posteriorem facit. Gellius lib 3.cap 11. Philochoro & Xenophane testibus stipatus venit: Atque idem Gellius libro 17.cap.21. in hanc partem magis inclinare videtur. de Homero, inquit, & Hesiodo inter omnes ferè scriptores constitit, ætatem eos egisse vel iisdem ferè temporibus, vel Homerum aliquantò antiquiorem, vtrunque tamen ante Romam conditam vixisse, Syluiis Albæ regnantibus, annis post bellum Troianum, vt Cassius in primo Annalium de Homero atque Hesiodo scriptum reliquit, plus C. atque LX. annis ante Romam conditam, vt Cor. Nepos in primo Chronicorum de Homero dixit, annis circiter C. & LX. Diuus quoque Cyrillus contra Iulianum Apostatam primo, diuersas sententias adducit: hanc, quia quod ad temporis concordiam pertinet, cum Cassio à Gellio citato consentit: alteram longè diuersam, sed de vtraque suo loco. Liquidissimum Solini Polyhistoris testimoniũ est cap.53. Smyrna, inquit, vnde præcipuè nitet, Homero vati patria extitit, qui post Ilium ca

ptum anno CCLXXII. humanis rebus excessit, Agrippa Syluio, Tyberini filio Albæ regnante, anno ante Vrbem cond. CLX. inter quem & Hesiodum poëtam, qui in auspiciis Olympiadis obiit, CXXXVIII. anni interfuerunt. Velleius paterculus intra mille ante se annos natum Homerum, volumine priore scribit, Hesiodumque circa CXX. annos distinctum ab Homeri ætate facit. De Homeri tempore Solino cum Plinio conuenit, quem libro 7. mille propè annos ante se, id est, Vespasiani tempora fuisse: quorum rationem si inieris, ad Agrippam retrò Syluium mille circiter annos reperies. Et Plutarchus putat Homerum à Lycurgo visum esse, quod ne ipsum quidem ab isthac temporis ratione discrepat, si anno CCXCVIII. à capta Troia, vt communis opinio habet, Lacedæmoniis leges tulit. Sin autem secundum Cyrillum CLXV. vel Cassium CLX. fieri non potest, vt eius ætatem attigerit. συγχρόνους fuisse eos, superiora partim testimonia confirmant: partim illud fidem facit, quod Suidas ipsos αὐτανεψιάδας, hoc est, consobrinos, genusque per eundem proauũ Melanopum ad Atlantem referre scribit. Quidam hoc ex ipsius testimonio confirmare satagunt, cùm dicit: ἐν δήλῳ τό τε πρῶτος ἐγὼ, καὶ ὅμηρος, ἀοιδοὶ, quod ad fidem faciendam non satis roboris habet. Nam quis dicat Romulum & Numam propterea simul regnasse, quòd primi Romanorum reges fuerint. Tertia opinio eorum est, qui Homerum Hesiodo posteriorem faciunt. Cuius autores sunt L. Accius poeta, & Ephorus historiæ scriptor, quorum leuia argumenta Gellius explodit lib. 3. cap. 11. Quintil. quidem lib. 5. cap. 11. Hesiodum primùm fabulas dedisse tradidit. Cui astipulatur D. Augustinus lib. 1. de Cõcord. sed vicissim Aristot. qui Homerico tẽpori propior fuit, ante Homerum neminẽ eiusmodi fabulas dedisse affirmat. Hæc de Homeri & Hesiodi ætate. Per me quam voles sententiam sequere, mihi prima magis arridet. Doct. Hesiod.) Humanæ vitæ optimum consultorem, teste Isocrate. Et eum stercorantem.) Inuenimus quidem Laërtem apud Homerum agrum colere, κόπρον παρέχοντα nusquã inuenio. In Odyss. λ Minerua sub Mentoris hospitis persona facit eum ἐπ' ἀγροῦ πήματα πάσχειν. Et ἑρπύζοντ' ἀνὰ γουνὸν ἀλωῆς οἰνοπέδοιο. Anticleæ rursus matris anima apud inferos lib 11. Vlyssi memorat, patrem in agro hyeme apud ignem, æstate foliis recumbentem, animi dolore & lachrymis consumi. Eumæus lib. 15. renunciat illi, senem patrem assiduò Ioui supplicare, θυμὸν ἀπὸ μελέων φθείρεσθαι postremò lib. vlt. Vlysses interfectis procis, patrem in agro quidem deprehendit, λιστρεύοντα φυτὸν καὶ ἀμφιλαχαίνοντα. Fossionis quidem, stercorationis nulla fit mentio, nisi per metalepsin fossionis nomine, vt laqueationem, repastinationemque, ita stercorationem quoque intelligas. Tempore enim pastinationis stercorare oportet Anatolio apud Cæs. Constantinum autore lib. 5. cap. 26. Sed hunc Ciceronis lapsum antè nos etiam dominus Budæus animaduertit. Pomariis etiam & hortis.) Theodorus more suo ordinem inuertit. κῆπος hortum generaliori significatu, id est, ventis patentem locum significat, ἀ κάπω τὸ πνέω. De hortis lege Constant. Cæs. libro 12. cap. 2. & sequent. Pomarium autem plerunque delectationis gratia instructum, viridarium arboribus consitum, παράδεισος Polluci barbara vox est. Pecudum pastu.) Verg. lib. Georg. 3. Columella lib. 6 & 7. Et aptum examinibus.) Verg. lib. Georg. Plin. Nat. historia lib. 11. cap. 5. & sequẽtibus. Varro de Re rustica lib. 3. cap. 16. Columella lib. 10. à cap. 11. vsque ad finem libri. Pallad. lib. 1. cap. 37. idẽ lib. 5. cap. 8. Aristotelis de Natur. animalium lib. 5. cap. 21. & 22. Constant. Cæs. lib. 15. aliquot ordine capitibus. Quintil. Declamat. pro paupere contra diuitem. Insitiones.) Quare superius immissionis nomen pro insitionibus intelligere volui. De insitione inter cæteros Constant. lib. 3. cap. 3. libro 4. cap. 11.

BALDVINVS. Malleoli, Plantæ sarmenta, viui radices, propagines.) Gaza vertit ἀπόρριζοι.

Possum persequi multa oblectaméta rerum rusticarum, sed ea ipsa quæ dixi, sentio fuisse longiora. Ignoscetis autem, nam & studio rerum rusticarum prouectus sum, & senectus est natura loquacior, ne ab omnibus eam vitiis videar vindicare. Ergo in hac vita M. Curius, cùm de Sānitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphasset, consumpsit extremum tempus ætatis. Cuius quidem villam ego contemplans (abest enim non longè à me) admirari satis non possum, vel hominis ipsius continentiam, vel temporum disciplinam. Curio ad focum sedenti magnum auri pondus Samnites cùm attulissent, repudiati sunt. Non enim aurum habere præclarum sibi videri dixit, sed iis qui haberent aurum, imperare. Poterat'ne tantus animus non efficere iucundam senectutem? Sed venio ad agricolas, ne à meipso recedam. In agris erant tum Senatores, id est, senes. Siquidem aranti L. Quintio Cincinnato nunciatum est, eum dictatorem esse factum, cuius dictatoris iussu, magister equitum C. Seruilius Hala Sp. Melium regnum appetentem & occupare volentem interemit. A villa in senatum arcessebantur, Curius & cæteri senes: ex quo qui eos arcessebant, Viatores nominati sunt. Num igitur horum senectus miserabilis fuit, qui se agricultione oblectabant? Mea quidem sententia, haud scio an vlla vita beatior esse posit, neque solùm officio (quòd hominum generi vniuerso cultura agrorum est salutaris) sed & delectatione, quam dixi, & saturitate, copiaque omnium rerum quæ ad victum hominum, & cultum etiam deorum pertinent, vt, quoniam hæc quidam desiderant, in gratiam iam cum voluptate redeamus. Semper enim boni assiduique domini referta cella vinaria, olearia, & penaria est, villaque tota locuples est: abundat porco, hœdo, agno, gallina, lacte, caseo, melle. Iam hortum ipsi agricolæ succidiam alteram appellant. Tum conditiora facit hæc superuacanei etiam operis aucupium, atque venatio. Quid de pratorum viriditate, aut arborum ordinibus, aut vinearum oliuetorúmve specie dicam? breui præcidā. Agro bene culto nihil potest esse, nec vsu vberius, nec specie ornatius: ad quem fruendum non modò non retardat, verumetiam inuitat atque allectat senectus. Vbi enim potest illa ætas aut æquè

Senectus natura loquacior.

M. Curius in agricultura vitā consumpsit.

Senatores, id est, senes.

A villa in senatum arcessebātur senes.

Viatores vnde dicti.

Succidia.

Ager bene cultus.

calefcere, vel apricatione melius, vel igni: aut vicifsim vmbris aquifve refrigerari falubrius? Sibi igitur habent iuuenes arma, fibi equos, fibi haftas, fibi clauam, fibi pilam, fibi natationes, & curfus: nobis fenibus, ex lufionibus multis talos relinquant, & tefferas, idipfum tamen vt libebit: quoniam fine his beata effe fenectus poteft.

Apricari.
Tali.
Tefferæ.

REDVK DETMS. *Poſſum perſequi.) A rebus ad perſonas tranſitum faciens, nouam beneuolentiam per occupationem captat. Quare ſenes impendio loquaciores ſint, cauſam reddit Ariſtot. libro Rhet. ad Theod. 2. Senex nimirum, quia memoria magis vigeat, quàm ſpe longioris vitæ fultus viuat propterea plus quoque voluptatis in anteactæ vitæ rebus cõmemorandis ponere Sed ipſum philoſophum audiamus.* καὶ ζῶσι τῇ μνήμῃ μᾶλλον ἢ τῇ ἐλπίδι. τοῦ γὰρ βίου τὸ μὲν μέλλον ὀλίγον, τὸ δὲ παρεληλυθὸς πολύ. ἔστι δὲ ἡ μὲν ἐλπὶς τοῦ μέλλοντος, ἡ δὲ μνήμη τῶν παροιχομένων. ὅπερ αἴτιον καὶ τῆς ἀδολεσχίας αὐτοῖς. διατελοῦσι γὰρ τὰ γενόμενα λέγοντες, ἀναμιμνησκόμενοι γὰρ ἥδονται. *M. Curius.) Hactenus agriculturæ laudes argumentis ex ipſa re natis celebrauit. Iam perſonarum à quibus culta eſt, ſplendore illuſtrem reddit. Neceſſe enim eſt illud vitæ genus omni voluptate honeſta refertum eſſe, in quo viri tot triumphis fulgentes, emeritos vitæ annos tranſigere voluerunt. Vndique ad ſummos dignitatum gradus, tanquam in virtutum palæſtra, aditus patuit. Obiter ſuaſorios locos animaduertere eſt. Primum iucundam agri rationem eſſe docet, deinde perſonarum ſplendore honeſtam oſtendit, paulò pòſt ſequẽtur commoda. Cùm de Samnitibus.) Florus Epit. 11. Curius Dentatus conſul, Samnitibus cæſis, & Sabinis qui rebellauerant victis, & in deditionem acceptis, bis in eodẽ magiſtratu triũphauit, anno ab Vrbe cõd. CCCCLXIII. Anno rurſus CCCCLXXIX. de Pyrrho triumphauit. Abbreuiat. Epit. 14. Florus lib. 1. cap. 18. haud vllum antè pulchriorem in vrbem, aut ſpecioſiorem triumphum intraſſe teſtatur, quum nihil libentius Pop. Rom. aſpexerit, quàm illas quas timuerat cum turribus ſuis beluas. Triumphaſſet.) Theod.* νικητήρια ἐπέμψεν. *Pollux libro 3. cap. 30.* νικητήρια *peculiariter gymnicis tribuit certaminibus. Cæterùm lib. 6. cap. 40. non quidem duci, aut imperatori, cui victori* θρίαμβος *decernitur, ſed militi* ἀριστεῖα ἐπινίκια *&* νικητήρια *rerum bene geſtarum præmia ſtatuit. Alciatus l. inter donum ff. de verb. ſignif ſine vllo diſcerniculo verbi originem ſequutus, victori generatim attribuit. Conſumpſit extremum tempus.) De huius continentia, qua aurum Samnitum repudiauit, alibi dictum eſt. De ſtudio Rei ruſt. Plutarch. vt diximus, in Catone, Auguſt. lib. 5. cap. 18. Sillius lib. 1.*

— & quondam duro ſulcata Camillo,
Vomere, & antiquos Curiorum paſſa ligones.

Ipſius hominis continentiam.) Qui cùm Italia Pyrrhum regẽ exegiſſet, nihil omnino ex præda regia, qua exercitum vrbemque ditauerat, attigit. Decretis etiam à ſenatu ſeptenis ingeribus (quæ menſura plebi poſt exactos reges aſsignata eſt) ſibi autem quinquaginta, popularis aſsignationis modum non exceſsit parum idoneum, vel vt Plin. pernicioſum Reipublicæ ciuem exiſtimans, qui eo quod reliquis tribueretur, contentus non eſſet. Valer lib. 4. cap. 3. Plin. lib 18. cap. 3. Columella in operis Præfat. & cap. 3. primi libri. Plutarch. in Apophtheg. Rom. Vel temporum diſciplina.) Quibus ſcilicet temporibus manibus imperatorum colebantur agri (vt fas eſt credere) gaudente terra vomere laureato, & triũphali aratore: Plin.

Theodorus τὸ ἀπὸ τῶν χρόνων πολυμαθὲς vertit, quo nomine temporis obseruatio, quæ in agricolatione plurimum momenti habet, fortè intelligi potest. Tempora siquidem prænoscere sine lumine animi, & sine exquisitißimis disciplinis non quenquam posse, Columella crediderit, de quo & Gell. lib. 10 cap. 11. Pondus.) Theod. σταθμόν. Certum quoddam significat æstimatione libræ expensum. L. Quintio Cincinnato in agro aranti.) &, vt tradit Norbanus, nudo plenoque pulueris etiamnum ore. historia est apud Liuiũ Decad. 1. lib. 3. Dionys. lib. 10. cap. 11. Plin. de Viris illust. cap. 17. Meminerunt Plin. lib. 18. cap. 3. & Columella in præfatione operis. Senatores, id est, senes.) De hoc suprá. Cuius dictatoris.) Theod. οὗ δικτατορεύοντος, latinum verbum Græca inflexione à latino nomine duxit, cuiusmodi multa sunt apud Theophilum, Iustiniani paraphrasten. reliqua latina magistratuum nomina ferè historici Græci interpretantur, hoc latinè efferunt. Vide Plutarch. in Marcello, vbi duas huius etymi deriuationes ostendit. Videtur hic locus prima fronte planus, nec quicquam obstare quin à quouis triuiali lectore citra offensionẽ vllam aut legi aut intelligi poßit. At vel mediocriter in historicorũ scriptis versato facilè subolebit, aut subdititia ea esse, quæ de Sp. Melio sequuntur: aut Ciceronem (vt Gellius & Politianus in eo animaduerterunt) multiuga rerum memoria confusum, duas Cincinnati dictaturas commiscuisse. Nam is bello latino ex agro ad dictaturam vocatus, Marci Minutij Cos. castra egregia virtute seruauit, anno ab Vrbe condita ccxcvij. Atqui idem Cincinnatus viginti pòst annis à T. Quintio Capitolino Cos. in senatu Dictator dictus, Seruilium Halam Melij interfectorem magistrum equitum dixit, anno ab Vrbe condita cccxvi. de quo Liuius libro 4. Decad. 1. Sed de hoc superius plura.

Viatores nominati.) L. Columella in præfatione operis, de nundinis verba faciens, sic scribit: Nundinarum etiam conuentus manifestum est propterea vsurpatos, vt nonis tantummodo diebus vrbanæ res agerentur, reliquis administrarentur rusticæ. Istis enim temporibus, vt antè iam diximus, proceres in agris ciuitatis morabantur, & cum consilium publicum desiderabatur, à villis arcessebantur in senatum. ex quo qui eos euocabant, viatores nominati sunt, &c. Hoc idem Plinius de Cincinnato ad dictaturam à viatore euocato loquens. Liuius & Dionysius legatos ad eum missos asserunt, Florus lictorem. Quid lictor à viatore differat, lege apud Gellium lib. 12. cap. 3. apud Alexand. ab Alexand. lib. Genialium dierum primo, cap. 27. Theod. κλήτορες ἀπὸ τοῦ καλεῖν transtulit, quos antiqui latinorum antistites græca voce appellarunt, in quorum locum apparitores publici successerunt. Vide Budæum in Comment. Num igitur.) Subiectione contrarium statuit. Vniuersæ.) Vniuersis salutare est, quod omnibus non item. Sicut vniuersis probatur, qui non omnibus. In vniuersitate enim agricolarum sunt, qui hac salubritate non fruantur. Est autem locus ab vtili. Et cultum etiam deorum) Primitias enim profert, & suppeditat victimas. De hoc abundè Xenophon in Oecom vt Cic. infrà transtulisse videatur. Et quoniam.) Theodorus per parenthesin legisse videtur, vt (quoniam hæc quidam desiderant) in gratiam iam cum voluptat. &c. ἵν' ἐπειδή τινες τὰ τοιάδε ποθοῦσιν, εἰς χάριν, &c. Aßiduique domini.) Iuxta prouerbium, Domini oculus. Quò & apologus Gellianus de Caßita pertinet. Villaque tota locuples est.) Nigidius locupletem ait dictum, ex compositis vocibus, qui plerasque loca, hoc est, qui multas posseßiones tenet. Gellius lib. 10. cap. 5. Plinius lib. 18. cap. 3. Caius iureconsultus in l. quos nos. §. locuples. ff. de orig. iuris, locupletem dicit, qui satis & idoneè habet pro magnitudine rei, quam actor restituendam petit. Vbi Alciatus, de immobilibus tantùm bonis intelligit. Signanter autem Cicero locupletem villam dixit. nam de viæ situ Varro quidem, & alij legendi sunt: maximè tamen omnium Columella, qui villæ positionẽ libro primo, cap. 6. in hunc modum disponit:

- *Villa diuiditur in*
  - *Vrbanam, quæ iureconsultis prætorium appellatur. quæ rursus diuiditur in*
    - *Hybernam.*
    - *Aestiuam.*
    - (*Quibus balneum addit.*)
  - *Rusticam, huius partes facit*
    - *Culinam magnam & altam.*
    - *Seruorum cellas.*
    - *Vinctorum subterranea ergastula.*
    - *Domitorum armentorum bubilia, æstiua & hyberna.*
    - *Pecorum stabula partim tecta, partim sub dio.*
    - *Villici habitationem iuxta ianuam.*
    - *Procuratoris supra ianuam.*
    - *Horreum, quo ponuntur rustica instrumenta.*
    - *Bubulcorum pastorumque cellas.*
  - *Fructuariam, quæ diuiditur in cellam*
    - *Olleariam,*
    - *Torculariam,*
    - *Vinariam,*
    - *Defrutariam,*
    - *Fœnilia,*
    - *Palearia,*
    - *Apothecas,*
    - *Horrea.*

Lege ad hæc quæ annotauit Budæus in l. videamus. ff. locati. *Abundat porco.*) ἑτέρωσις *numeri. Obserua obiter articulos, vel* πολυσυνδέτῳ. *Iam hortum ipsi agricolæ succidiã alteram.*) *Plin. alterum macellum.* *Breui expediam.*) *Tædium beneuolentiæ captatione in ipso orationis cursu tollit.* *Vel apricatione melius.*) *Theod.* ἡλίῳ, *causam pro effectu,* ἀλλοίωσις. *Pilam.*) *Audiui qui ad pilam militarem referant, quibus haud grauatum sub-*

scribo. Theodorus σφαῖραν lusoriam intelligit, cuius inuentum Plin. ad Pythum quendã refert. Cælius vt tesseras, ita pilam quoque à Lydis inuentam esse, Græcis testibus perhibet. Differt tamen sphæromachia à pilæ ludo, qua iuuentus apud Græcos in gymnasio exerceri consueuit (Cicero nanque inter iuueniles & seniles lusus discernit) qua qui vicisset, rex dicebatur, & imperabat. victus verò, asinus, & victoris mandata exequebatur. De talis verò & tesseris genialis Alexandri verba, quàm mea (quia nihil, quin dictum sit prius, dico) annotare malo, lib. 3 capite 21 is sic scribit: Post latrunculos fuere tali eburnei, sex angulorum, æquali latitudine: tesseræ verò quatuor nãque erant figuræ ex omni latere quadratæ, quas Græci κύβους vocant sed tamen in iactu tesseris vtebantur tribus, talis verò quatuor: in quibus figuræ effictæ vicem numeri habebant, sed quinarius numerus non erat in talis, sicut in tesseris. tali autem astragalli græcè dicti, & astragalizontes talis ludentes: geminum verò quadratum, hoc est octo laterum dixere asphalum. Taxillorum ludus ex octo punctis vel figuris constabat: inter quos vnus Stbesichorius nomine, hoc est octonarius, præcipuus erat. qui quidem turricula, seu quæ dicebatur orca, vel fritillus super patenti tabella punctis distincta iactabantur, ne lusoris manus iactum falleret. & anceps: siquidem modo lucra, nonnunquam damnum afferebat. is verò quaternarium numerum facit. Chius verò ternarium. Venus autem, quæ summum continet numerum, multum lucri affert, semperq́ue felici exitu ludum terminauit. hæc enim Cani opposita, Colias dicebatur, tricenariumq́ue absoluebat numerum: Euripides verò quadragenarium. In talis quoque legimus Vulturnium & Herculem basylicum: quæ an signa fuerint, vel numeri, dubitatur adhuc. in tesseris Midas fortunatissimus erat in taxillorum iactu. ter sex summam Græcis afferunt victoriam, tria verò summum damnum. qua quidem alea Porcius Cato lusisse fertur, animi laxandi causa: & Augustus effusè, Domitianus, & Claudius, qui etiam lusorium conscripsit opus. Plura legito apud Vergilium Vrbinatem lib. de Inuentoribus rerum 2. cap. 13. quædam etiam apud Volaterranum lib. 29. Philologiæ: apud Beroaldum in Augusto Tranquilli. Erasm. in prouerb. Semper feliciter cadunt Iouis taxilli. Item, Si sæpe iacias, &c.

BALDVINVS. C. Seruilius Hala Sp. Melium regnum appetentem & occupare volentem interemit.) In cod. scriptis ferè habetur Ahala &, occupatum. Gaza φωραθέντα transtulit, hoc est deprehensum. Num igitur horum senectus miserabilis fuit, qui se agricolatione oblectabant? Mea quidẽ sententia haud scio an vlla beatior esse posit.) Theodorus legisse videtur, vt ferè habent vetera exẽplaria, qui se agricultione oblectabant. Non, mea quidem sententia haud scio an vlla vita beatior, &c. Breui expediam) in antiquis codicibus legitur, Breui præcidam Gaza vertit συνελὼν δ' οὖν ὡς βραχὺ ἐρῶ. Habeant igitur alij sibi arma.) lego veterum exemplarium fidem secutus, habeant igitur iuuenes sibi arma, &c. quibus redditur, nobis senibus, &c.

Xenophontis OEconomicus. Multas ad res perutiles Xenophontis libri sunt, quos legite quæso studiosè, vt facitis. Quàm copiosè ab eo agricultura laudatur in eo libro, qui est de tuenda re familiari, qui OEconomicus inscribitur? Atque vt intelligatis, nihil ei tam regale videri, quàm studium agri colendi: Socrates in eo libro loquitur cum Critobulo. *Cyrus.* Cyrum minorem Persarum regem præstãtem *Lysander.* ingenio, atque imperij gloria, cum Lysander Lacedæmonius,

vir summæ virtutis venisset ad eum Sardis, eique dona à sociis attulisset, & cæteris in rebus comem erga Lysandrum atque humanum fuisse, & ei quendam conseptum agrum diligenter cõsitum ostendisse. Cùm autem admiraretur Lysander & proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines, & humũ subactam atque puram, & suauitatem odorum qui afflarentur è floribus, tum eum dixisse, Mirari se non modò diligentiã, sed etiam solertiam eius à quo essent illa dimensa & descripta, & ei Cyrum respondisse. Atqui ego ista sum omnia dimensus, mei sunt ordines, mea descriptio, multæ etiam istarum arborum mea manu sunt satæ: tum Lysandrum intuentem eius purpuram, & nitorem corporis, ornatumque Persicum, multo auro, multisque gemmis fulgentem dixisse, Rectè verò te Cyre beatum ferunt, quoniam virtuti tuæ fortuna coniuncta est. Hac igitur fortuna frui licet senibus. Nec ætas impedit, quo minus & cæterarum rerum, & in primis agri colendi studia teneamus, vsque ad vltimum tẽpus senectutis. M. quidẽ Valerium Coruinũ accepimus ad cẽtesimũ annum vitam produxisse, cùm esset exacta iam ætate in agris, eosque coleret. Cuius inter primum & sextum consulatum, sex & quadraginta anni interfuerant. Itaq; quantum spacium ætatis maiores nostri ad senectutis initium esse voluerunt, tantus illi cursus honorum fuit. Atque huius extrema ætas in hoc beatior quàm media, quòd auctoritatis plus habebat, laboris verò minus. Apex autem senectutis est auctoritas. Quanta fuit in L. Cæcilio Metello, quanta in Attilio Calatino? in quem illud elogium vnicum plurimæ consentiunt gentes, Populi primarium fuisse virum. Notum est totum carmen incisum in sepulchro. Iure igitur grauis, cuius de laudibus omnium esset fama consentiens. Quem virum nuper P. Crassum pontificem maximum, quem postea M. Lepidum eodem sacerdotio præditum vidimus? Quid de Paulo aut Africano loquar, aut, vt iam antè, de Maximo: quorum non in sententia solùm, sed etiam in nutu residebat auctoritas? habet senectus, honorata præsertim, tantam auctoritatem, vt ea pluris sit, quàm omnes adolescentiæ voluptates.

Cyrus beatus à Lysandro appellatus.

M. Valerius Coruinus.

Cuiusmodi senectus laudetur.

B E V K B B T K S. *Perutiles Xenophontis libri.) Vt cuius ore Musæ locutæ exi-*


stimentur, vt cuius inadfectatam iucunditatem ipsæ Gratiæ finxisse videantur, Cicerone & Fabio testibus, vt qui Attica Musa dictus sit. Qui OEconomicos inscribitur.) quem Cicero, sicut & Platonis Timæum, iuuenis etiamnum è græco in latinum conuertit, vt ad filium 2. de Offic. testatur. Meminit etiam Columella. Cyrum minorem regem Persarum.) Regnauit is Persis Olympiade xcv. hoc est, anno Vrbis cond. cccliij. memorante in Chronicis Eusebio, quo tempore xxx. tyranni apud Athenienses oppressi, quo tẽpore apud Romanos tribuni militares Rempub. gubernarunt. Minorem autem dicit, ad differentiam maioris, qui Olympiade xcv. imperitauit, prophetantibus apud Hebræos Aggæo & Zacharia, vt D. Cyrillus contra Iulianum lib. 1 commemorat. cuius Pædian Xenphon libris octo conscripsit, cuius superius mentio facta est. Cum Lysander Lacedæm.) Cuius vitam scribit Plutarch.

Sardis.) Asiæ oppidum, in quod cum Olympiade octaua & quinquagesima, victor Cyrus (maiorem intellige) intrasset, vbi tũc Crœsus latitabat, Athis filius regis mutus ad id vsque temporis, in vocem erupit, vi timoris. Exclamasse enim dicitur, Parce patri meo Cyre, & te hominem esse vel casibus disce nostris. Solinus cap. 7. Plin. libro 5. cap. 29. ait Lydiam, quæ Mæonia antè appellata, Sardibus in latere Tmoli montis maximè celebrari. A socius) Lacedæmoniis fuerunt enim σύμμαχοι. Cyrus enim auxilium Lacedæmoniis contra Carthaginenses tulit, Lacedæmonij vicissim Cyro contra fratrem Artaxerxem, de quo Iustin. lib. 5.


Comem erga Lysandrum.) Theod. videtur legisse communẽ, τὰ τε ἄλλα κοινῶς, pro quo φιλοφρόνως alioqui reddendum erat, &c. Et directos in quincuncem.) Sunt qui putant quincuncem dici spacium quinque vnciarum, siue pedum, quod inter arbores siue vites serendas relinquitur. Sed qui hoc perpetuò constare possit, cum Columella lib. 3. cap. 13. dicat, nõnullos omnem vitem per denos pedes in quincuncem disponere. atq; rursus lib. 4 cap. 30. Riguus, inquit, locus spacia laxiora desiderat, eaque senum pedum per quincuncem rectè faciũt. Si igitur vites senos pro loci qualitate, vel denos in quincuncis dispositionem requirunt, multò magis arbores proportione interualla ampliora flagitant, quo ventus liberiori flatu & arbores vniuersas aspirare possit. est enim in disponendis arboribus, arbustis ac vineis (vt Plinius libro decimoseptimo inquit) quincuncialis vtilis, verum & aspectu grata, quocunque modo intueare in ordinem se porrigente versu. Cui suffragatur etiam Quint. lib. 8. cap. 3. Quid enim illo quincunce speciosius, quid in quamcunque partem spectaueris. Quare non immeritò Lysander hunc ordinem miratur, de quo Verg. 2. Georg.

Indulge ordinibus, nec secius omnis in vnguem
Arboribus positis secto via limite quadret.

Sunt qui hanc quincuncialis ordinis formam fuisse contendant, in qua quinque stellæ appareant hoc modo, A B C D E.




Sunt rursus alij qui rhombæa vel quadrilatera forma, quam tibi sequens figura exhibet, quinque periodos, hoc est, quinas arbores vno circuitu describunt, hoc modo:




De quincunce præterea lege Budæum de Asse primo. Qui duplicem quincuncialis rationem inuenit, vnam alueolatam, alteram reticulatam, in rhombos conformatam, in hunc (nisi fallor) modum:

Alueolata.



Reticulata.



Et directos in quincuncem ord.) Budæus ait se nondum intelligere, cur ita appellatus sit. Fortasse autem antiquos sic quincuncem appellasse, exactam plãtarum metationem, vt decus-

si exactam spacij diuisionem. Theodorus, σὺν ὀρθοῖς εἰς πεντάδα εὐγώνιον στοίχους. Xenoph. ὀρθοὶ δὲ οἱ στοῖχοι τῶν δένδρων, εὐγώνια δὲ πάντα. A quo essent illa dimensa.) Theodorus διατάξαντος. Vide Comment. Budaei in verbo διατάττω. Nitorem corporis.) Nihil tale neque apud Theodorum, neque apud ipsum Xenophontem legitur. Quid, quod ne Medulanensis quidem editio corporis vllam mentionem facit. legitur enim ibi, tum Lysandrum intuentem purpuram eius, & nitorem, ornatumque Persicum, &c. Theodorus, καὶ τὸν Λύσανδρον ἀποβλέποντα, ἔς τε τὸν περιφυρῆ κάνδυν. κάνδυν Pollux lib. 2. cap. 13. cum Persicis vestibus numerat, atque idem eodem loco Xenophontis testimonio ait κάνδυν ὁλοπόρφυρον esse. Hesychius candyn Persicam togam facit, quam milites fibula connectebant. Purpuram autem non rubram modò, sed candidam quoque, iam pridem extra controuersiam est. lege ad haec Lazarum cap. 20 de re Vestiaria. De Persarum opibus, vide Budaeum libro de Asse quarto. Sed vt studiosus iuuenis, Ciceronis Theodoriq; verba cum verbis Xenophontis conferat, subiungi curauimus: ἐπεὶ δὲ ἐθαύμαζεν αὐτὸν ὁ Λύσανδρος, ὡς καλὰ μὲν τὰ δένδρα ἄν, δι' ἴσου δὲ τὰ πεφυτευμένα, ὀρθοὶ δὲ οἱ στίχοι τῶν δένδρων, εὐγώνια δὲ πάντα καλῶς ἄν, &c. ἀλλ' ἐγώ σοι ὦ Κῦρε, πολὺ δὲ μᾶλλον ἄγαμαι τοῦ καταμετρήσαντός σοι, καὶ διατάξαντος ἕκαστα τούτων. ταῦτα δὲ ὦ Λύσανδρε ἐγὼ πάντα καὶ διεμέτρησα, καὶ διέταξα. Recte verò te Cyre.) Epilogus de laudibus agriculturae. Marcum quidem Valerium Coruinum.) De huius cognomine lege Liuium libro septimo ab Vrbe condita, Gellium libro nono cap. 11. Valerium Maximum lib. 8. cap. 16. Plinium de Viris illust. Florum libro primo capite 1. Meminit Ouidius in Fastis, Valerius libro quinto cap. 2. Ad centesimum annum.) De hoc idem Valerius libro octauo cap. de Senectute. Plinius de Viris illustribus.

Inter primum & septimum.) Theodorus Gaza ἑπτὰ legit. Plutarchus in Mario πέντε καὶ παραεξήκοντα. Alia exemplaria sex habent: quam supputationem, vt veriorem, Glareanus in Chronologia consulari sequitur, Plinio & Valerio consentientibus. Consulatuũ autem ipsius seriem ob oculos ponere volui, vnde lector expeditam temporum rationem intueri queat, in hunc modum:

Valer. Coruinus Cos.	I. Cum Popilio Lenate IIII. Consule, 23. annos natus.	Anno ab Vrbe condita.	407
	II. Cum Petilio Balbo.		409
	III. Dictator, cum Aulo Cornelio Cosso, interregni praetextu.		412
	Interea Plebiscitum annarium, de non reficiendo intra decennium magistratu sancitum. Liuius lib. 7.		414
	IIII. Cum M. Attilio Regulo. Liuius lib. 8.		420
	Cum Qu. Fab. Max. interrex. Liuius lib. 9.		433
	V. Dictator absens, non petens tamen, Qu. Apuleio Cos. creatur, legem de prouocatione tulit.		453
	VI. Manlio Torquato, qui equo effusus expirauerat, subrogatus. Liuius libro 10. ab Vrbe condita.		454

Holoandri Chronologia sextum consulatum in annum 464 reiicit, cùm ille huius fortè progenies sit. *Atque eius extrema.)* Tres apud Rom. ætates, secundum Ser. Tullij institutũ, ex Tuberonis historia, vide apud Gellium libro 10. cap. 28. *Apex.)* Vide prouerb. Colophonem addere. Est autem postremus locus de voluptatibus senectutis. *Quantum spacium ætatis.)* Ab annis minoribus ad annos emeritos. Nã is sella curuli semel ac vicies sedit, quoties nemo alius. Plinius lib 7. cap. 48. *Autoritas.)* maiestas, σεμνότης illa, quam Homerus ferè senibus in vultu sessitare fingit. *In Lucio Cæcilio Metello.)* põtifice maximo. Valerius lib. 8. capite de Senectute. Plinius loco citato. *In Attilio Calatino.)* Referunt ad C. Attiliũ, qui bello Gallico Cos. occisus, anno dxxix. cui Regulo, non Calatino cognomen fuit. Philologo ego censendum relinquo, num A. Attilius Calatinus intelligendus sit, cuius primus consulatus cum Sulpitio Paterculo fuit, anno Vrbis conditæ ccccxcv. vbi apud Polybiũ, & Polybij sectatorem Aretinum (nescio an rectè) Rutilium legitur: vel secundus cum C. Cor. Scipione, anno ccccxcix. vbi apud Polybium & Aretinum, simili fortè errore, legitur Aquilius. Dubium hoc auget, quod occisi Reguli caput ad Gallorum reges delatum est. Sed quid Polybium erroris insimulamus, cùm vel Perotti interpretis error sit, vel (quod citius crediderim) librariorum. nam sunt plerunq; propria nomina in Polybio latino aut mutata, aut corrupta leguntur. ita in Græco vtrinq; ἀτίλιος, hic σαῦλος, illic αὖλος legitur. *Elogium.)*

pro monumento. Vide Vallam libro 3. cap. 66. hinc etiam elegiæ. Idem Cicero circa finem 2. de Finibus, eiusdem elogij meminit. Notum est eius carmen.) Theodorus pentametro elogium hoc complexus, πρῶτος αὐτὴρ ὁ δ᾽ ἦν ἄστεος οὐρανόχθον. quod non abhorret à prouerbio, Primas fert, primas tenet. Secutus fortè Theodorus monumentum ipsum, quod, vt Scipionum, Seruiliorum, Metellorum, ad portam Capenam fuisse, ex 1. Tusc quæst. constat: quæ Andrea Fuluio teste, porta Appia, vel S. Sebastiani vocatur. De quo Marlianus quoque mentionem facit lib. 7. cap. 17. Alexand. lib. 3. cap. 2. Andreas Fuluius lib. 4. In editis tamen Romæ monumentis nusquam visitur. Crassum) de hoc suo loco dictum est. Sed hic subnascitur quibusdam suspicio. Tuditanum, quem Crasso apud Liuium lib. 9. quartæ Decadis subrogatum legimus, pontificatu non diu functum fuisse, quod Lepidus non multò pòst Pontifex Maximus creatus sit: meminerunt Tuditanum in Pontificio tantum ordine, non in pontificatu maximo subrogatum. Nam C. Seruilius Geminus mortuo Crasso, Pontifex Max. creatus est. Quanuis hic ipse Crassus Licinius cooptationem collegiorum ad populi beneficium transferendam, legem tulisse dicatur: sed Lælius restitit, vt ipse de se in libello de Amicitia prædicat. Vide præterea Alexandrum ab Alexandro lib. 2. cap. 8 Genialium dierum. Quem postea.) triennium videlicet. Nam P. Licinius Crassus Pontifex Max fatis concessit anno Vrb. cod. dlxxi. Cui succedens C. Seruilius Gemin⁹, decessit anno dlxxiiij qui idem Decemuir sacrorum fuit. Atque hic claro exemplo manifestum fit, quòd iam antè de pontificatus successione docui. Nam in Gemini locum à collegio Pontifex cooptatus est Qu. Lucius Flaccus: in Pontificem Max. Aemylius hic noster Lepidus, cum multi clari viri petissent. Idē Lepidus anno sequenti cum M Fuluio nobiliore Censor factus est. Fieri siquidem potuit, vt Pontifex Max. ciuilibus quoque munus præesset, id quod Alexander loco Licinij Crassi exemplo ostendit. qui pontificatum maximum, & Consulatum, mox censuram, præturamque simul gesserit. Quæ de M. Lepido annotauimus, reperies apud Liuium lib. 10. Decadis quartæ. Quid de Paulo.) patre tuo, ô Scipio. Et Africano.) auo tuo adoptiuo. Vtriusque maiestatem prædicat Valerius Max. lib. 2. cap. de Maiestate: huius iuuenis etiamnum, illius etiam vita perfuncti. Maiestatem Africani, cum L. fratris legatū in Asia ageret, Antiochus venari magis quàm dolorem suum vlcisci volēs filium à militibus interceptum, regijs muneribus donatum patri remisit: historia est apud Liuium lib. 7. Decad. quartæ. Eius exulantis maiestatem venerantur prædones, apud Val. admiratur Masinissa apud Liuium lib. 8. Decad. 3. Pauli Aemylij demortui maiestatem demirantes Macedoniæ principes, funebri lecto sponte sua se subijciunt. apud Valerium loco citato, & Plutarchum in eius vita. In nutu.) Alexand ab Alexādro lib. 2. ca. 19. Habet senect.) Seneca epist. 12. lib. 1. legendus est. Hæc verba græcè in nulla (quotquot ego vidi) editione reddita reperio. pro lacuna supplenda hæc supposititia tantisper subijciemus, dum γνήσια quis addiderit, ἔχει μὲν γὰρ τὸ γῆρας, μάλιστα δὲ τὸ ἔντιμον τοσοῦτον ἀξίωμα.

BALDVINVS. Socrates in eo libro loquitur cum Critobulo, &c.) Verba Socratis apud Xenophontem sunt illa: οὗτος τοίνυν ὁ κῦρος λέγεται λυσάνδρῳ ὅτε ἦλθεν ἄγων αὐτῷ τὰ παρὰ τῶν συμμάχων δῶρα, ἄλλα τε φιλοφρονεῖσθαι, ὡς αὐτὸς ἔφη ὁ λύσανδρος, ξένῳ ποτὲ τινι ἐν μεγάροις διηγούμενος, καὶ τὸν ἐν σάρδεσι παράδεισον ἐπιδεικνύναι αὐτὸν ἔφη. ἐπεὶ δὲ ἐθαύμαζεν αὐτὸν ὁ λύσανδρος, ὡς καλὰ μὲν τὰ δένδρα εἴη. δι᾽ ἴσου δὲ τὰ πεφυτευμένα, ὀρθοὶ δὲ οἱ στίχοι τῶν δένδρων, εὐγώνια δὲ πάντα καλῶς εἴη. ὀσμαὶ δὲ πολλαὶ καὶ ἡδεῖαι συμπαρομαρτοῖσι αὐτοῖς περιπατοῦσι. Quæ sequuntur, agriculturæ commoda pulchrè declarant. In quem illud elogium vnicum plurimæ consentiunt gentes, &c.) vno ore, non vnicum, legendum puto, vt sub finem lib. secundi de finibus bon. & mal. Non elogiū monu-

mentorum id significant, velut hoc ad portam, Vno ore cui plurimæ consentiunt gentes, &c. Gaza videtur legisse, in quem vnicum, illud elogium plurimæ concinunt gentes. Habet senectus honorata præsertim tantam auctoritatem.) In omnibus Græcis exemplaribus quæ mihi videre contigit, hoc versum nõ est, præterquam in eo, quod Colinæus emisit anno 1528. In quo sic redditur ἔχει γὰρ τὸ γῆρας μάλιστα ἄμοιον τηλικοῦτον ἀξίωμα ὥστ᾽ *&c. & paulò inferius, nec tanquam inexercitati histriones extremo actu corruisse.* ἀλλ᾽ οὐχὶ κατὰ τοὺς ἀνασκήτους τῶν ὑποκριτῶν ἐν ἐσχάτῳ που τοῦ δράματος καταπεπτωκέναι τὰ δὶ, ἀλλ᾽ εἰσί, *&c.*

Sed in omni oratione mementote eam me laudare senectutem, quæ fundamentis adolescentiæ constituta sit. Ex quo id efficitur, quod ego magno quondam cum ascensu omnium dixi, Miseram esse senectutem, quæ se oratione defenderet. Non cani, non rugæ repente auctoritatem arripere possunt, sed honestè acta superior ætas, fructus capit auctoritatis extremos. Hæc enim ipsa sunt honorabilia, quæ videntur leuia atque communia, salutari, appeti, decedi, assurgi, deduci, reduci, consuli. quæ & apud nos, & in aliis ciuitatibus, vt quæque optimè morata est, ita diligentissimè obseruantur. Lysandrum Lacedæmoniũ (cuius modò mentionem feci) dicere aiunt solitum, Lacedæmone esse honestissimum domicilium senectutis. Nusquam enim tantum tribuitur ætati, nusquam est senectus honoratior. Quinetiam memoriæ proditum est, cùm Athenis ludis quidã in theatrum grandis natu venisset, in magno concessu locum ei à suis ciuibus nusquam datum: cùm autem ad Lacedæmonios accessisset, qui legati cùm essent certo in loco consederant, cõsurrexisse omnes illi dicuntur, & senem sessum recepisse. Quibus cùm à cuncto consessu plausus esset multiplex datus, dixisse ex his quendam, Athenienses scire quę recta essent, sed facere nolle. Multa in nostro collegio præclara sunt, sed hoc, de quo agimus, in primis, quòd vt quisque ætate antecellit, ita sententiæ principatum tenet. Neque enim solùm honore antecedentibus, sed iis etiam qui cum imperio sunt maiores natu augures anteponuntur. Quæ sunt igitur voluptates corporum cum auctoritatis præmiis comparandæ? quibus qui splendidè vsi sunt, ij mihi videntur fabulam ætatis peregisse, nec tanquam inexercitati histriones in extremo actu corruisse.

Apud Lacedæmonios honestissimum erat senectutis domiciliũ.

Atheniẽses sciunt quæ recta sunt, sed facere nolunt.

BEDKDBTWS. *Sed in omni.) Occupatio, quæ de Senectute loquatur. Occupa-*

tiones in confutationibus crebræ sunt, quarum aptissima ἀνάλυσις est diuisio. *Quod ego magno assensu.*) Apopthegma. *Non cani.*) Causæ. Iuuenalis:

-Facies tua computat annos.

Seneca de Breuitate vitæ: Non est itaque quod quenquam propter canos aut rugas putes diu vixisse. Non ille diu vixit, sed diu fuit. Cæterùm de senectutis comitibus, vide Lud. Viuem lib. de Anima 2. Sic Herodes Atticus apud Gellium, cuidam philosophum se ostentanti, Video, inquit, barbam & pallium, philosophum nondum video. Sic nec cuculla monachum facit, nec corona regem, nec fasces consulem. *Fructus autoritatis præbet.*) Theodorus metaphoram continuat, καρπὸς πλείστων δρέπεται ἀξιώματος. δρέπεται, id est, colligit, metit, vindemiat. *Salutari.*) Salutabantur magistratus: cuius rei vestigium apud Sallustium est, vbi coniurati consilium de opprimendo Cicerone ineunt, sicuti salutatum eum ingressuri. De salutandi ratione, lege multa in Genialibus Alexãdri diebus, lib. 2. cap. 9. *Assurgi.*) Ouidius in Fastis:

Magna fuit quondam capitis reuerentia cani,
Inq; suo precio ruga senilis erat.

Item Satyricus Sat. 12.

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicunque puer: licet ipse videret
Plura domi farra, & maiores glandis aceruos:

Deduci, reduci.) Iuuenes enim senatus die vtiq; aliquem ex patribus conscriptis, aut propinquum, aut paternum amicum ad curiam deducebant, affixique valuis expectabant, donec reducendi officio etiã fungerentur. Valerius lib. 2. cap. 1. Gellius lib. 2. cap. 15. testatur, hũc morem accepisse Romanos à Lacedæmoniis. *Consuli.*) Senectuti verò celebrandæ & ornandæ, quod honestius potest esse perfugium, quàm iuris interpretatio? Equidẽ mihi hoc subsidium iam inde ab adolescentia comparaui, non solùm ad causarum vsum forensem, sed etiã ad decus atque ornamentum senectutis, vt cùm me vires (quod ferè iam tempus aduentat) deficere cœpissent, ista ab solitudine domum meã vindicarem. Quid est enim præclarius, quàm honoribus & Reipub. muneribus perfunctum senem, posse suo iure dicere id quod apud Ennium dicit ille Pythius Apollo, se esse eum vnde sibi, si non populi & reges, at omnes sui ciues consilium expetant, suarum rerum incerti, quos ego mea ope ex Incertis certos compotesque consili Dimitto, vt ne res temerè tractent turbidas. Est enim sine dubio domus iurisconsulti, totius oraculum ciuitatis. Hæc Cicero de Orat. 1. *Lysandrum Lacedæmonium.*) Refertur à Plutarcho in Apophtheg. Laconicis. Vide prouerbium, In sola Sparta, &c. Habes exemplum chriæ. *Cum Athenis ludis.*) Panathenaicis, de quibus alibi. *Festũ recepisse.*) Citra rationem hic error irrepsit. Theodorus, καὶ εἰς ἕδραν παρακαλοῦντες, &c.

Dixisse ex his.) Lacedæmoniis. Vide Plutarchum in Apophtheg. Valerium lib. 4. cap. 5.

Athenienses scire quæ recta essent.) Hinc Plato ait, si quis Atheniensis bonus sit, eum valde bonum esse. lib. de LL. primo. *In nostro collegio.*) Metzlerus augurum collegiũ intelligit, nescio an rectè. Nondum enim legi Catonem augurem fuisse. *Præclara.*) Quidã scioli ἔλλειψιν suppleuerunt verbo Cognoui: nescientes quàm excitet animos suspensa oratio. vel fortè glossula in contextum irrepsit. Theodorus suppleuit, πολλὰ μὲν τῶν ἀξιολογωτάτων ἐστὶν ἰδεῖν. *Quod vt quisque ætate.*) In perrogandis sententiis, post relationem consulis; debere à consulari gradu incipi, & principem in senatu, aut consulem designatum prius, deinde ordine reliquos rogari. Nonnunquam obseruatum est, vt ex consularibus æuo maxime

rogarentur primi, deinde inferiores. Iuuenes verò vix rogari, quasi pudor esset, iuuenem sene sapientiorem videri. Hæc & plura notatu digna abseruauit Genialibus diebus Alexander lib. 4. cap. 12. Neque enim solùm.) Hoc peculiariter ad augures pertinet. Hūc locum Alexander in suis Genialibus diebus retulit lib. 5. cap. 19. ubi iis subscribit, qui superiorem locum de augurum collegio intelligunt. Quæ sunt igitur voluptates corporum.) Corporis melius. Theodorus, σώματος. Hi videntur mihi fabulam.) Sic suprà: à qua non verisimile est, cum cæteræ partes ætatis benè descriptæ sint, extremum actum tanquā ab inerti poëta esse neglectum. Huius monetæ prouerbia sunt, Supremum fabulæ actum agere. item Catastrophe fabulæ. Nec tanquam inexercitati histriones in extremo actu corruisse.) Similis superiori. Theodori translatio vulnus habet: cui nos medētes, hanc cicatricem reliquimus, ὥσπερ οἱ μὴ ὢν γυμναζόμενοι οἱ μίμοι ἐπὶ τοῦ τελευταίου δράματος ἠσχύνθησαν. Spero fore, qui cicatricis quoque huius vitia tollant.

BALDVINVS. Non cani, non rugæ repente auctoritatem afferre possunt, sed honestè acta superior ætas fructus auctoritatis præbet extremos.) Vetusti quidam codices habent authoritatem arripere possunt. &, fructus authoritatis capit extremos. Gaza vertit δρέπεται, hoc est, carpit. Quinetiam memoriæ proditum est, cùm Athenis ludis quidam in theatrum grandis natu venisset, &c.) Plutarchus in Apophthegmatis Laconicis fusius rem explicat.

Morū vitia, non senectutis. At sunt morosi, & anxij, & iracundi, & difficiles senes. si quærimus, etiam auari: sed hæc morum vitia sunt, non senectutis. At morositas tamen, & ea vitia quæ dixi, habent aliquid excusationis, non illius quidem iustæ, sed quæ probari posse videatur. Contemni se putant, despici, illudi: præterea in fragili corpore odiosa omnis offensio est. Quæ tamen omnia dulciora fiunt & bonis moribus, & artibus. Idque tum in vita, tum in *Apud Terētiū.* scena intelligi potest ex iis fratribus qui in Adelphis sunt. Quanta in altero duritas, quanta in altero comitas? Sic se res ha-*Senectutis comparatio.* bent. Vt enim non omne vinum, sic non omnis ætas vetustate *Seueritas.* coacescit. Seueritatem in senectute probo, sed eam (sicut alia) *Acerbitas.* modicam: acerbitatem nullo modo. Auaritia verò senilis quid *Sene auaro nihil absurdius.* sibi velit, non intelligo. potest enim quicquam esse absurdius, quàm quo minus viæ restat, eo plus viatici quærere?

ERASMVS. Ne illius quidem iustæ.) vide lib. 2. Offic. numero 33.

BVDELIVS. At sunt morosi.) Occupatio, qua per congeriem quædam senū vitia commemorat, quam mox per translationem in operis ingressu positam tollit. Et iracundi.) Gaza, gazam hanc Atticam duobus verbis auxit. Iracundos ἐπιχόλους, id est, flauæ bili obnoxios nominans, videtur expressisse videtur: ὀργίλους verò, præcipiti affectu flagrantes, adeoque vltionis cupidos intelligere. Hoc multos Latini iram, illud iracundiam vocant. hocq́ue commotos iratos, illo iracundos. D. Basilio ἡ ὀργὴ ἐν διαθέσει sita est, θυμὸς autem ἐν τῇ ὁρμῇ.

Atque hic idem τὸ σφοδρὸν τὸ ἀπὸ θυμοῦ κίνημα παρεξυσμὸν appellat, & grauiorem ad facinus præparationem πικρίαν. Atque rursus pro eo quod Cicero dixit difficiles, Theodorus reddidit δυσξυμβόλους καὶ ἀπροσηγόρους. Hi sui copiam congressumue difficulter faciunt, proinde μισανθρώπου illis conuersantibus sua difficultate molesti sunt. Reliqua senectutis vitia Aristot. Rhet. 2. prosequitur. Si quærimus.) Theodorus, πολυπραγμονῶμεν. Quod verbum rectè exprimi à Latinis posse Gellius negat. significat autem, circa aliena negocia nimis curiosum esse. Hinc πολυπραγμοσύνη de qua, nisi fallor, alibi diximus. Etiam auari.) Mitio Terentianus nimiam fratris ad rem attentionem notans: Ad omnia, inquit, ætate sapimus rectius, solum unum hoc vicinum adfert senectus hominibus, attentiores sumus ad rem, omnes quàm sat est. Habet aliquid excusat.) Concessio αὐτοπόφορος habet. Contemni se putant.) Est enim suspiciosa senectus: Aristot. Obserua interim quanta cum efficacia articulus per αὔξησιν crescat. Coalescit, id est, non benè ætatem fert, vt suprà dixit. Quam quo minus viæ restat.) Vide prouerbium apud Erasmum, Exactæ vitæ viaticum quærere. vt Ludouicus Viues libro de Anima tertio, causam non ad vitæ necessitatem, sed falsam de illa persuasionem refert. Hæc de tertia confutatione.

Quarta restat causa, quæ maximè angere atque solicitam habere nostram ætatem videtur, appropinquatio mortis, quæ certè à senectute non potest longè abesse. O miserum senem, qui mortem contemnendam esse in tam longa ætate non viderit: quæ aut planè negligenda est, si omnino extinguit animum: aut etiam optanda, si aliquo eum deducit, vbi sit futurus æternus: atqui tertium certè nihil inueniri potest. Quid igitur timeam si aut non miser post mortem, aut beatus etiam futurus sum. Quanquam quis est tam stultus, quanuis sit adolescens, cui sit exploratum se ad vesperum esse victurum? Quinetiam ætas illa multò plures, quàm nostra, mortis casus habet. Facilius in morbos incidunt adolescentes, grauius ægrotant, tristius curantur. Itaque pauci veniunt ad senectutem: quod nisi ita accideret, melius & prudentius viueretur. Mens enim, ratio, & consilium in senibus est: qui si nulli fuissent, nullæ omnino ciuitates fuissent. Sed redeo ad mortem impendentem. Quod illud est crimen senectutis, cùm illud videatis cum adolescentia esse cõmune? Sensi ego tum in optimo filio meo, tum in expectatis ad amplissimam dignitatem fratribus tuis Scipio, omni ætati mortem esse communem.

Quarta vituperatio senectutis. Mortem non esse timendam.

Mortem esse omni ætati communem.

CONFVTATIO QVARTA.

Ne mireris lector, si deinceps nos breuiores videris. Nam cùm ad hunc vsque

portũ nauim appulissem, missa sunt nobis ab Oporino nostro, venerãdo Musarũ antistite, syluosa Syluij in hunc librum commentaria. Quæ si extare, tũ habuissem compertũ, factaque mihi eorum fuisset copia, facilè ab hac opera, quam fortè temerè suscepisse quibusdam videbor, abstinuissem. Quid enim opus erat, post Homerum Iliada conscribere? Nactus ego librum, cursim cum meis confero. Animaduerto iisdem nos plerunque vestigiis institisse: id quod iis accidere solet, qui idem iter non eodem tempore faciunt. nec interim passim iisdem scriptis offensi, diuersis aliquando locis impegimus, atque in alias subinde etiam, aliasque animaduersiones incidimus quo fit, vt laboris quidem pœnitudo animum subeat: sed, vt fit, prolis amor (cæcus licet) efficiat, vt ne prorsus ab incepto desistam, tanto videlicet comite ad institutum perrecturus cauebo tamen, ne quid ab ipso annotatum, meis deinceps præter rationem infarciam. Hoc enim non tam commentaria scribere, quàm describere, meritò censeatur. Sic enim & labor facilior multò, & iter certius expeditiusque futurum erit.

Quarta restat causa) Theodorus, τετάρτη τῶν αἰτιῶν λοιπή. Hinc ἐν αἰτίᾳ ποιεῖσθαι, & δι' αἰτίας ἔχειν: De quo Budæus in commentariis. Dicam enim intemperantes senectuti impingunt grandem, iubentque eam de mortis imminentia causam dicere. Augere.) aliàs angere: & melius. Theodorus, ἀμβλύνειν. Appropinquatio mortis.) Theodorus, γειτνίασις vicinitas. Hanc eandem criminationem confutat Seneca epist. 12 libri primi. O miserum senem.) φίλαυτος διαβολὴ, per exclamationem. Quæ aut planè contemnenda.) Rem per dilemma exponit, ac distribuit. Sunt qui pro planè, clarè legant. Theodorus, ἄντικρυς melius.

Extinguit.) Ignis extinguitur. Democritus animum ignem dixit: sed si anima sese mouet ipsa, inextinguibilis est, quæ Democrito assertionis causa fuit. Porrò nec Epicuri dogma alterum dilemmatis cornu includit, quod de animæ immortalitate dubitet ipse, vel Cicero, vel Cato: sed quia tota hæc disputatio contra voluptuarios, in quibus Epicurei regnant, instituta est, necesse fuit causæ caput aggredi, & ipsum statim aduersariorum iugulum suo ipsorum gladio petere. Et disertè sanè dicit. Qui enim animum vnà cum corpore interire putant (in quibus Cæsar prætor est, qui apud Sallustium coniuratis patrocinaturus, animaduersionem extenuat) mortem miseriarum requiem, non cruciatum esse, cunctaque mortalium mala dissoluere asserunt. Quòd si ita se res habeat (inquit) non grauis vitæ iactura fuerit. Atqui tertium nihil.) Obscurum per dilemmatis distributionem clarum factum est. Ratiocinatur Cicero eodem modo Tusc. quæst. 1 Fac animum interire vt corpus, num igitur aliquis dolor, aut omnino post mortem sensus in corpore est? Nemo id quidem dicit, & si Democritum insimulat Epicurus, Democritici negant. Ne in animo quidem igitur sensus remanet, ipse enim nusquam est. Vbi igitur malum est? quoniam nihil tertium. Quanuis sit adolescens.) Superius etiam hac ἀνακλύσει vsus est. Quòd omni ætati ex æquo commune senectuti soli tribuendum non est. De vitæ prorogatione iuuenis æquè ac senex, incertus. Ergo iuuenis sibi præ sene, de vitæ diuturnitate polliceri nihil potest. Ad vesperum.) Iuxta illud Varronis, Nescis quid serus vesper vehat. Facilius in morbos.) Ex collatione demonstratiua docet, credibile non esse, vt senecta morti propinquior sit adque, ex causis contingentibus. Contingentia rem probabilem faciunt. Meliùs & prudentius.) Temeritas inconsulta iuuentuti multorum malorum, adeoque sæpe mortis causa est. Consilta contrà senum, ad periculorum cautionem præsidia sunt. Iuuentus ergo & morti & mortis causis magis expósita est. Mens enim & ratio.) Cur senectus iuuenta prudentior sit, quæstionem sanè elegantè elegantissimis versibus Palingenius explicat in Libra:

Huc accedit item, quod corpore debilitato
Vis animi crescit. quare imbecilla senectus

Consilio ſuperat iuuenes, mentiſque vigore.
Ingenio plerunque caret, qui robore præſtat.
Rarò vtrunque Deus cuiquam largitur, vt idem
Sit ſapiens, & ſit robuſto corpore pollens.
Quare ſi longo fractis iam viribus æuo
Fortior eſt animus, non ipſe à corpore pendet,
Sed per ſe eſt aliud quiddam, & poſt funera viuit.

Quod illud eſt crimen.) Theodorus, ἔγκλημα, *id eſt, actio. Actoris eſt, vt* αἰτία *rei. ſic &* ἐν αἰτίαις εἶναι, καὶ ἐγκλήμασιν εἶναι, *idem, diuerſis tamē reſpectibus. In optimo filio meo.) maiore videlicet natu, quem ex prioribus nuptiis habuit: qui cùm imperator eſſet, extremum obiit diem. cuius mortem quàm conſtanter magnanimiterque Cato pater tulerit, ſub finem teſtabitur ipſe, & in Lælio dicetur amplius. De huius laudibus inferius dicet plura. Expectatus.) Ampliſsimam de ſe ſpem præbentibus, quippe prætextatis etiamnum. L. enim Paulo magnæ victoriæ compote, quatuor filij fuere. ex iis duos natu maiores, vnum P. Scipioni, P. Africani filio, nihil ex paterna maieſtate, præter ſpeciem nominis vigoremque eloquētiæ retinenti, in adoptionem dederat: alterum Fabio Maximo. duos minores natu prætextatos, quo tempore victoriam adeptus eſt, habuit. Is cùm in concione extra vrbem more maiorum ante triumphi diem ordinem ſuorum actorum commemoraret, deos immortales precatus eſt, vt ſi quis inuideret operibus atque fortunæ ſuæ, in ipſum potius ſæuirent, quàm in Rempublicā. Quæ vox veluti oraculo emiſſa, magna parte eum ſpoliauit ſanguinis ſui. Nam alterum ex ſuis, quos in familia retinuerat, liberis, ante paucos triumphi, alterum poſt pauciores amiſit dies. Memini me de hac re alibi annotaſſe, niſi quod Velley Paterculi verba hic referre placuit. Et Seneca libro de Breuitate vitæ oſtendit, quam integro animo Scipio hic noſter adoleſcentulus etiamnum, ac propemodum puer, familiæ ſuæ ſuper ipſum Pauli triumphum concidentis, ſubitam vaſtitatem tulerit.*

At ſperat adoleſcens diu ſe victurum, quod ſperare item ſenex non poteſt. Inſipiēter ſperat. Quid enim eſt ſtultius, quàm incerta pro certis habere, falſa pro veris? Senex nec quod ſperet habet. At eſt eo meliore conditione quàm adoleſcens, cùm id quod ille ſperat, hic conſecutus eſt. Ille vult diu viuere, hic diu vixit. Quanquam ô dij boni, quid eſt in hominis vita diu? Da enim ſupremum tempus: expectemus Tarteſiorum regis ætatem. Fuit enim, vt ſcriptum video, Arganthonius quidam Gadibus, qui octoginta regnauit annos, centum & viginti vixit. Sed mihi ne diuturnum quidem quicquam videtur, in quo eſt aliquid extremum. Cùm enim id aduenit, tum illud quod præteriit, effluxit: tantum remanet, quod virtute & rectè factis ſis conſecutus. Horæ quidem cedunt & dies, mēſes & anni, nec præteritum tempus vnquam reuertitur. nec quid ſequatur, ſciri poteſt. Quod cuique temporis ad viuendum datur, eo debet

Melior ſenis q̄ adoleſcentis conditio.

contentus esse. Neque enim histrioni, vt placeat, peragenda est fabula, modò in quocunque fuerit actu, probetur: nec sapienti vsque Plaudite, viuendum. Breue enim tempus ætatis, satis est longum ad bene honesté que viuendum. Sin processeris longius, non magis dolendum est, quàm agricolæ dolent præterita verni temporis suauitate, æstatem, autumnumque venisse. Ver enim tanquam adolescentiam significat, ostenditque fructus futuros. Reliqua tempora demetiendis fructibus aut percipiendis accommodata sunt. Fructus autem senectutis est (vt sæpe dixi) ante partorum bonorum memoria, & copia. Omnia verò quæ secundum naturam fiunt, sunt habenda in bonis. Quid est autem tam secundum naturam, quàm senibus emori? quod idem contingit adolescentibus, aduersante & repugnãte natura. Itaque adolescentes mori sic mihi videntur, vt cum aquæ multitudine vis flammæ opprimitur: senes autem, sicut sua sponte nulla adhibita vi consumptus ignis extinguitur. Et quasi poma ex arboribus, si cruda sint, vi auelluntur: si matura & cocta decidunt, sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas. Quæ mihi quidem tam iucunda est, vt quò propius ad mortem accedam, quasi terram videar videre, aliquãdoque in portum ex longa nauigatione esse venturus. Omnium ætatum certus est terminus, senectutis autem nullus certus est terminus: recteq; in ea viuitur, quoad munus officij exequi & tueri possis, & tamen mortem contemnere. Ex quo fit, vt animosior etiam senectus sit, quàm adolescentia, & fortior.

Nota. *Ver.* *Quæ secundum naturam.* *Adolescentis acerba, senis verò matura mors.* *Nota.*

ERASMVS. Quod cuique temporis.) Quod temporis, pro quod tẽpus, siue quantum temporis.

[illegible]. At spectat adolescens.) Neque hoc credibile est, vt quis spem precio emat. Certa pro incert.) Certa enim præterita sunt, incertæ voluptates futuræ: quæ penè antequam veniant, auferantur, teste Seneca. Ille assecutus.) Hab ich ist ein besserer vogel, dan hett ich. Quanquam ô dij boni.) Per admirationem vocis definitionem vrget. Sed argumentum verò similius, quàm verius est Quasi verò diuturnum idem quod æternum sit. Aduerte hic τὸ ἀδυνάτου locum. Fieri, inquit, non potest, vt diu viuat, cùm diuturnum nihil sit, nisi idem sit æternum. Probat id ex temporum distributione. Præteritum siquidem euanescit, præsens momentaneum est, futurum incertum. Ex his (inquit Seneca de Breuitate vitæ) quod agimus breue est, quod acturi sumus dubium, quod egimus certum, & sequentia.

Diu.) τεχνικῶς, sicut infrà, pluadite. Da.) Vide Linacrum. Est autem concessionis formula. Centum & viginti.) Valerius ex Asinio Pollione centum & triginta, Plinius

& Lucianus ex Herodoto λογγαίῳ, & Anacreonte Lyrico poëta, centum & quinquaginta. Consentit Sillius lib. 3.

Arganthoniacos armat Carteia nepotes,
Rex proauus fuit humani doctißimus aeui,
Ter denos decies emensus belliger annos.

Tarteßiorum.) Tarteßus alio nomine Carteia, in littore maris, propè Gadis insulam, in ipsis freti, quod inter Herculis columnas est, angustiis. De qua Mela, iisdem partibus natur, lib. 2. cap. de Hispania. Effluxit.) aquá per diuinam prouidentiam humanæ cuiusque clepsydræ infusa. Lege omnino Senecam libro Epist. 3. epist. 24. August. de Ciuit lib. 12. cap. 12.

Quod virtute & rectè factis.) Vixit enim, iuxta prouerbium, quisque dum vixit bene. Et Seneca de Breuitate vitæ ait, eum malè vixisse, qui nesciat benè mori. Atq; idem ibidem, viuere in tota vita discendum monet. lib. rursus Epist. 2. epist. 1. stultitiæ tanquam proprium assignat, si quis incipiat viuere. Sin processeris.) Decori caput aggreditur. Nam contrà decorum non est, si senex moriatur. Imò quicquid secundum naturam, id decorum maximè, vt Stoici asserunt. terminum autem vitæ alij statuunt alium. De quibus vide Censorinum de die Natali, cap. 14. Ver enim tanquam adolescent.) Ludouicus Viues libro de Anima secūdo: Nec malè, inquit, qui hominis ætatem, & diei & anno aßimilarunt, vt pueritia sit tempus matutinum & ver, iuuētus meridies & æstas, senectus serum & autumnus, mors autem hyems & nox. Septem ætatum gradus ex Hippocrate numerat Pollux lib 2. Lege præterea de ætatibus Alciatum in l. pueri appel. ff de verb. signif. Procl. de Anima & dæmone, ætates septem secundum planetarum numerum diuidit. Vide præterea Cælium lib. 10. cap. 62. De quatuor ætatibus, earumq́ue qualitatibus, lege inter cæteros Galenū in Isagoge. Omnia autem quæ secundum nat.) Ratiocinatio, in qua complexionis causa veluti ennœa vtitur. Naturæ siquidem controuersiam facere, Seneca iniquum iudicat, etiamsi aberret. Quid est.) Minorem amplificat collatione ex antithesi, quod adolescentes moriantur aduersante natura.

Itaque adolescent.) Vide Aristotelem in lib. de Iuuentute & senectute. Senes autem.) Mors est naturalis, quum humore, hoc est caloris pastu arescente flaccescit calor, & ad postremum extinguitur, vt lucerna oleo absumpto. Est autem mors violenta, quam gentiles præter fatum dicebant esse, quum casu aliquo vel humor detrahitur, vel calor extinguitur, oppreßione quapiam, siue interna, vt in veneno, ingluuie, & alluuione immodica potus, quemadmodum cùm nimium olei in lucernam infunditur: siue externa vt spiritus, cor refrigerantis in arteria, vel ore, compreßio. quale est cùm ignis lapidibus, aut multo cinere derepente obruitur, ac opprimitur. Viues lib. de Anima 2. Cum aquæ multitudine.) Aristoteles in libro de Iuuentute & senectute, duas ignis corruptiones ponit, μάρανσιν, τὴν ἀφ' ἑαυτοῦ, & hanc vocat γῆρας, interpretantur marcorem: alteram σβέσιν, τὴν ὑπὸ τῶν ἐναντίων. & hanc vocat βίαιον, interpretantur violentiam. Et quasi.) Similitudine excolit. Si maturæ & cocta.) Theodorus πέπονες. Pepones alioqui fructus nomen, de quibus Plinius lib. 20. ca. 2. Dioscorides lib. 2. cucumeris carnem peponem appellat. Sic vitam adolescent.) Hinc βιαιοθάνατος Firmicus ex Græcorum deriuatione vocat, fato non expectato confectos. Quæ mihi quidem.) πέπων. In portum ex longa.) Sic Seneca Paulinum hortatur, vt in tranquilliorem portum recedat. Nam inquit paulò pòst, In hoc tam procelloso mari nauigantibus, nullus portus nisi mortis est. Omnium ætatum certus terminus.) προθεσμία, de temporis termino propriè. Munus officij exequi.) Theodorus, κατορθοῦν τὴν καθήκοντος ἀπαγγελίαν. Confundit eleganter, quorum Cicero disertam in Officiorum primo, differentiam indicauit. Vbi κατορθώματα perfecta, καθήκοντα verò media officia dixit. Et quod hic apud Ciceronē

verbum Exequor significat, Theodorus pleonasmo Attico reddit: κατορθοῦν, quod perfecte alioquin facere significat. Est apud Ciceronem alioquin luxus Atticus in eo, quod inter munus & officium discreuit. Martian. Iureconsul. munus propriè dici ait, quod necessariò subimus, lege, more, imperióve eius qui iubendi potestatem habet. Quò Theodorus in transferendo respexisse videtur id enim ferè λειτουργία significat, vt καθήκοντα τὰ ὄντα, λειτουργία executionis necessitatem & officij effectum significet. Hoc etiam Cicero inferius paulò expressit, dicens: Nam dum sumus in his inclusi compagibus corporis, munere quodam necessitatis. & Theodorus λειτουργίαν, quod publicum propriè munus significat.

B A L D V I N V S, Nec sapienti vsque ad plaudite viuendũ.) Gaza vertit ἰτέον, hoc est, veniendum, sicq; legitur in antiquis codicibus. Et quasi poma ex arboribus, &c.) quasi, pro quemadmodum nouè dictum videtur. nam, sic, ei redditur.

Solonis responsum. Hoc est illud quod Pisistrato tyranno à Solone responsum est: cum illi quærenti, qua tandem spe fretus sibi tam audaciter obsisteret: respondisse dicitur, Senectute. Sed viuendi est finis optimus, cum integra mente, cæterisque sensibus, opus ipsa suũ, eadem quæ coagmentauit natura, dissoluit. Vt nauem, vt ædificium idem destruit facillimè, qui construxit: sic hominem, eadem optimè quæ conglutinanit natura, dissoluit. Iam omnis conglutinatio recens, ægre: inueterata, facilè diuellitur. Ita fit, vt illud breue vitæ reliquum, nec auidè appetendum senibus, nec sine causa deserendum sit: vetatque Pythagoras iniussu imperatoris, id est, dei, de præsidio & statione vitæ decedere. *Solonis elogium extat apud Plutarchum.* Solonis quidem sapientis elogium est, quo se negat velle suã mortem dolore amicorum lamentisque vacare. Vult se charum, credo, suis esse. Sed haud scio an melius Ennius,

Nemo me lachrymis decoret, neque funera fletu Faxit.

Non censet lugendam esse mortem, quam immortalitas consequatur. Iam sensus moriendi si aliquis esse potest, is ad exiguum tẽpus durat: præsertim seni, post mortẽ quidẽ sensus aut optandus, aut nullus est. Sed hoc meditatum ab adolescentia debet esse, mortem vt negligamus: sine qua meditatione tranquillo esse animo nemo potest. Moriendum enim certè est, & id incertum, an eo ipso die. Mortem igitur omnibus horis impendentem timens, quis tranquillo poterit animo consistere? De qua non ita longa disputatione opus esse videtur: cùm recordor nõ *Qui pro patria mortui sunt.* solùm L. Brutum, qui in liberanda patria est interfectus: non duos Decios, qui ad voluntariam mortem cursum equorum

incitauerunt: non M. Attilium, qui ad suppplicium est profectus, vt fidem hosti datam conseruaret: nō duos Scipiones, qui iter Pœnis corporibus suis obstruere voluerunt: non auum tuum L. Paulum, qui morte luit collegæ in cannensi ignominia temeritatem: non M Marcellum, cuius interitum ne crudelissimus quidem hostis honore sepulturæ carere passus est: sed legiones nostras, quod scripsi in Originibus, in eum locum sæpe profectas alacri animo & erecto, vnde se nunquam redituras arbitrarentur. Quod igitur adolescentes, & ij quidem non solùm indocti, sed etiam rustici contemnunt, id docti senes extimescent? Omnino quidem (vt mihi videtur) rerum omnium satietas, vitæ facit satietatem. Sunt pueritiæ certa studia: num igitur ea desiderant adolescentes? Sunt & ineuntis adolescentiæ: num ea iam constans requirit ætas, quæ dicitur media? Sunt etiam huius ætatis, ne ea quidem in senectute quæruntur. Sunt extrema quædam studia senectutis. Ergo vt superiorum ætatū studia occidunt, sic occidunt etiam senectutis. Quod cùm euenit, satietas vitæ, tempus maturum mortis affert. Equidem non video, cur, quid ipse sentiam de morte, non audeam dicere vobis: quod eo melius cernere mihi videor, quòd ab ea propius absum. Ego vestros patres P. Scipio, tuque C. Læli viros clarissimos, mihique amicissimos viuere arbitror, & ea quidem vita, quæ est sola vita nominanda. Nam dum sumus in his inclusi compagibus corporis, munere quodam necessitatis, & graui opere perfungimur. Est enim animus cœlestis ex altissimo domicilio depressus, & quasi demersus in terram, locum diuinæ naturæ æternitatique contrarium. Sed credo deos immortales sparsisse animos in corpora humana, vt essent qui terras tuerentur, quique cœlestium ordinem contemplantes, imitarentur eum, vitæ modo atq; cōstantia. Nec me solùm ratio ac disputatio impulit, vt ita crederem, sed nobilitas etiā summorū philosophorum & auctoritas. Audiebā Pythagorā Pythagoreosque incolas penè nostros, qui essent Italici philosophi quondā nominati, nunquam dubitasse, quin ex vniuersa mente diuina delibatos animos haberemus. Demonstrabantur mihi præterea, quæ Socrates supremo vitæ die de immortalitate animorum

Varia ætatum studia.

Ætas media.

Quare animus immortalis in corpora hūana infusus sit.

Pythagoras & Pythagorici philosophi Italiæ partē incoluerūt, quæ magna Græcia dicebatur.

disseruisset, is qui esset sapientissimus oraculo Apollinis iudicatus. Quid multa? sic mihi persuasi, sic sentio, cùm tanta celeritas animorum sit, tanta memoria præteritorum, futurorum prudentia, tot artes, tantæ scientiæ, tot inuenta, non posse eam naturam quæ res eas continet, mortalem esse. Cumque animus semper agitetur, nec principium motus habeat, quia ipse se moueat, ne finem quidem habiturum esse motus, qui nunquam se ipse sit relicturus. Et cùm simplex animi natura esset, neque haberet in se quicquam admixtum dispar sui, atque dissimile, nō posse eum diuidi: quod si non posit, non posse interire. Magnoque esse argumento homines scire pleraque antequam nati sint, quòd iam pueri cùm artes difficiles discant, ita celeriter res innumerabiles arripiant, vt eas non tum primùm accipere videantur, sed reminisci & recordari. Hæc Platonis sunt feré.

Animorum immortalitas probatur.

πλατωνίζει.

E R A S M V S. Coagmentauit.) pro coniunxit, siue conglutinauit. Neque funera fletu faxit.) Nouum est, facere funus, pro agere exequias. Quòd ad eam propius adsum) Nouum est, adsum ad eam, eoque visum annotare.

B B V K D B I K S. Hoc illud est.) Probat chria, quæ pronũciati vim habet. Pisistrato) Hippocratis filio. Tyranno.) Tyrannum appellat, vt eum qui libertatem oppreßit, non crudelitate barbarica sæuientem. Miti enim cum ingenio fuisse, non modò illud documento esse potest, quod Solonem sibi in occupanda tyrannide aduersarium (vt apud Plutarchum legitur) humanè tractauit: quin illud etiam, quod cùm adolescens quidam amore eius virginis accensus, in publico obuiam sibi factam osculatus esset, hortante vxore vt ab eo capitale supplicium sumeret, respondit: si eos qui nos amant, interficimus, quid iis faciemus quibus odio sumus? Malè tamen idem Pisistratus ab Isocrate in Panathenaico audit. Sed quomodo imperio potitus sit, scribunt Herodotus lib. 1. Iustinus lib. 2. Gellio cum Eusebio conuenit, Pisistratum Athenis tyrannũ fuisse, regnante apud Rom. Seruio Tullio. Ex quo fit.) Theodorus, ὥστε ἦ, κινδυνεύσαι. A Solone responsum.) Variant historici. Plutarch. non hoc Pisistrato ipsi, sed amicis eum commonentibus respondisse scribit, Laërt. ad Pisistrati epistolam, qua eum ne sibi resisteret, hortatus fuit, responsitasse memorat, ὅσον ἀνθρωπίνου βίῳ ἔτη ἑβδομήκοντα. Valerius lib. 5. cap. de Ingratis, refert, quod Athenienses suos nequaquam de opprimenda tyrannide monuisset senectutem Cypri profugũ peregisse, neque ei in patria de qua optimè meruerat, humari contigisse. Integra mente.) antequam deficientibus sensibus delirauerit. Vetatque Pythag.) Lactantius Firmianus libro de Falsa sapientia, cap. 18. contra voluntariam mortem acerrimè disserens, argumento à minore ad maius ducto, hisce ferè Pythagoricis vtitur. Nam (inquit) si homicida nefarius est qui hominis extinctor est, eidem sceleri obstrictus est qui se necat, quia hominem necat: imò verò maius esse facinus existimandum est, cuius vltio Deo soli subiacet. Nam sicut in hanc vitam non nostra sponte venimus, ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis aßignatum est, eiusdem iussu recedendũ

est, qui nos in hoc corpus induxit tandiu habitaturos, donec iubeat emitti. Et si vis aliqua inferatur, æqua mente patiendum est. Platonis Phædon similia ad Socratem mox iam venenum bibiturum refert, qui dupliciter ostendit, homini concessum non esse, vt sibi ipsi manus violentas afferat. primùm quòd animus quasi in custodia corporis asseruetur in hac vita, quem locum Cicero noster integrum in somno Scipionis retulit his verbis: verba sunt Africani ad Nepotem. Quare & tibi Publi, & piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis, nec iniussu eius à quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandũ est, ne munus humanũ assignatum à Deo defugisse videamini. Videtur Cicero Pythagoram hic Platoni miscuisse. Refertur Platonis, vel (si mauis) Socratis sententia, etiam Tusc quæst lib. 1. Altera ratio est, deorum homines esse quasi mancipia. Solonis quidem sapientis.) Caput inconsequentis. Ineptè enim colliges, mortuus est, ergo miser est. In quo confutando tota prima Tusculanarũ quæstionum est. Elogium.) Epitaphium Syluius ex Tusculanarũ quæst. annotauit. Annotauit etiam quispiam marginibus græcum ex Plutarcho,

μηδὲ μοὶ ἄκλαυςος θάνατος μόλοι, ἀλλὰ φίλοισι
ποιήσαιμι θανὼν ἄλγεα, καὶ ςοναχάς.

Sanè Solonem quidam ex Græcis funebrem orationem inuenisse primùm ferunt. Legitur item apud Plutarchum in eius vita, quomodo Atheniensibus flebiles lamentationes, & cætera dolorem testantia, velut inania, & nihil vitæ proficientia, legibus sustulerit. Legitur apud Laërtium quomodo Atheniensium sepeliendi ritum Salaminam traduxerit. Pugnare cum hoc elogio aliquantulum videntur, quæ valer. lib. 7. cap. de Sapientum dictis, refert. De luctu multæ leges apud Alexandrum ab Alexandro. An melius Ennius.) Crinitus dubitaret ab Ennio compositum, nisi Cicero tot locis ab eo editum esse testaretur. Syluius integrum ex 1. Tusc. quæst ascripsit: vbi Ioachimus pro vrnam, formam scribit, s fortè in dictione imaginis per apostrophon eliso. Atque rursus in vltimo versu, huius loci autoritate pro qui, cur legit, quã lectionem vt legitimam etiam Erasmus agnouit. Quam immortalitas.) Antithesi mira inest elegantia. Sensus moriendi.) Non dissimile dilemma apud Plat. est in Apologia. Si non moritur animus, maiora me expectant bona: si moritur, nihil sentiam mali. Satis inusitata constructio. Et hic alter moriendi sensum, quàm in Tusc. quæst. cascis insitum fuisse, esse in morte sensum. Hic dolorem significat, & ad corpus refertur, illic ad animum transfertur. nec interim fenestræ animi intelliguntur, quibus animus à corporis ergastulo liber non vtitur, vt iam statim sequitur: Post mortem quidem sensus aut optandus, aut nullus est. Atque sic Epicurus quoque mortis timorem tollit, quod bonum ac malum omne in sensu sit, morte autẽ sensus tolli, &c. An post discessum sensus sit, disputat Cælius lib. 6. cap 21. Is ad exiguum tempus durat.) Alterum hoc dilemmatis cornu est, apud Ciceronem: An quoniam ipse animi discessus à corpore non fit sine dolore? Vt credam ita esse, quàm est id exiguum? & falsum esse arbitror, & fit plerunque sine sensu, nonnunquam etiam cum voluptate. Totum hoc leue est, qualecunque est, fit autem ad pũctum temporis. Sed hoc meditatum ab adolescent.) Socrates venenum bibiturus, philosopho absurdum fore probans, si mortem grauiter ferat, κινδυνεύουσι γὰρ, inquit, ὅσοι τυγχάνουσιν ὀρθῶς ἁπτόμενοι φιλοσοφίας λεληθέναι τοὺς ἄλλους ὅτι οὐδὲν ἄλλο αὐτοὶ ἐπιτηδεύουσιν, ἢ ἀποθνήσκειν τε καὶ τεθνάναι. Et aliquantò pòst, postquam probauit corpus philosophanti impedimento esse, τῷ ὄντι ἄρα οἱ ὀρθῶς φιλοσοφοῦντες ἀποθνήσκειν μελετῶσι καὶ τὸ τεθνάναι ἥκιστα αὐτοῖς ἀνθρώπων. Quæ verba idem Cicero in primum Tusc quæst. librum transtulit. In hanc sententiam lectu digna sunt apud Senecam, libro de Breuitate vitæ. Aliud enim est conari, aliud agere: aliud viuere moriturum, aliud mori victurum. ille moriturus est ex gloria, iste moritur semper ad gloriam. Debemus igitur &

nos animo præmeditari, quod aliquando futuri sumus: & quod, velimus nolimus, abesse longius non potest. D. Gregorius Nazian. Quis præsentem hanc vitam mortis facit meditationem? quasi dicat, nemo. Moriendum enim certè est.) Hoc à nostris hominibus prouerbij vice iactatur. Seneca lib. 10. epistola consolatoria. Omnes eadem conditio deuinxit. cui nasci contigit, mori restat. Interuallis distinguimur, exitu æquamur. Hoc quod inter primum & vltimum diem iacet, varium & incertum est. Si labores æstimas, etiam puero longum: si velocitatem, etiam seni angustum. Nihil non lubricum & fallax, & omni tẽpestate mobilius. Iactantur cuncta, & in contrarium transeunt, iubente fortuna. Et in tanta volutatione rerũ humanarum, nihil cuiquam nisi mors certum, &c. Palingenius in Scorpio:

Heu quot habet mors sæua vias, artesq́ue nocendi.
Quo magis esse procul credis, magis imminet, vnde
Certius est quàm mors, quàm mors incertius est nil.

Et Pynd. Olymp. Od. 2. τὸν ὅλον ἀμφὶ χρόνον, ἤτοι βροτῶν κέκριται πεῖρας οὔ τι θανάτου, &c. L. Brutum) Inductione probat, pericula immortalitatis gratia esse subeũda, id quod apud Platonem in conuiuio ex Diotimæ fatidicæ sententia docet. Cæterùm quod ad historiã attinet, legendus est Liuius lib. 2. ab Vrbe cond. Plutarchus in Publicola, qui id prid. calend. Mart. accidisse scribit. Plinius de Viris illust. cap. 10. Valer. lib. 5. cap. 6. Florus lib. 1. cap. 10. Cicero Tusc. quæst. 1. Sed in quarto earundem dubitat, an propter infinitum odium tyranni efferatus in Aruntem inuaserit. Video (inquit) vtrunque comminus ictu cecidisse contrario. Dubitat & in Paradoxis aliud præter fortitudinem, & amorem patriæ subfuisse. Duos Decios.) De his superius. M. Regulum.) Quantum ex Polybio & Aretino colligo, captus est Regulus anno CCCCXCVI. pro captiuis permutãdis missus, supplicioq́; misero affectus anno CCCCXCIX. Legitur tamen apud Orosium, sub Metelli consulatum, Regulum cùm per quinquennium captiuus fuisset, Romã missum. neque Liuij Abbreuiator repugnat, si quinquennium illud captionis & supplicij annis incluseris. Hanc Reguli historiam graphicè scribit Sillius lib. 6. De supplicij genere, scriptores ferè variant. Lege Gellium lib. 6. cap. 4. Plinium de Viris illust. cap. 40. Florum lib. 2. cap. 2. Abbreuiatorem Epit. 18. Valeriũ lib. 1. cap. 1. lib. 9. cap. 2. Leonard. Aretinum lib. 2. de primo bello Punico, qui id quod à Polybio omissum est, sarciuit. Orosium lib. 4. cap. 10. Super facto multis disputat Augustinus de Ciuitate dei lib. 1. cap. 15. & 24. Meminerunt præ cæteris Cicero Offic. 1. Parad. 2. & in Orat. in Pisonem. Valer. lib. 2. cap. 4. Horat. lib. Car. 4. Od. 5. Duos Scipiones) De his, nisi memoria labitur, alibi dictum est. Scribunt historiam Liuius lib. 5. tertiæ Decadis. Sillius lib. 13. Appianus in Lybico, Oros. lib. 4. cap. 17. Florus lib. 2. cap. 6. Meminit Valerius libro 3. cap. 7. Cicero multis locis. Non auum tuum L. Paulum) Liuius legendus lib. 2. Decadis 3. Polybius lib. 5. Plutarchus in vita Pauli Aemylij. Sillius in 9. Florus lib. 2. cap. 6. Orosius lib. 4. cap. 16 à Chronologia dissentit, DXL. annum ponens. Meminerunt Valerius libro 3. cap. 2.

Marcus Marcellus.) Liuius lib. 7. Decad. 3. historiam scribit. Plutarchus eius vitam describens, non obticet. Meminit Valerius lib. 5. cap. de Humanitate. Plin. cap. 5. de Viris illustribus. Sillius lib. 12. Oros. lib. 4. cap. 18. De hoc plura Offic. 1. Sed legiones quidem nostras.) Theodorus legiones τάγματα reddidit, quasi tu dicas ordines, ἀπὸ τοῦ τάττεσθαι. Constat legionem latinam esse vocem, cui nulla græca rectè opponitur. Non ignoro τάγμα à Polluce in σύμπαντος στρατεύματος nomenclatura recenseri. Et Plutarchus ciuitatem iuuenem à Romulo in militares diuisam ordines scribit, his verbis: πρῶτον μὲν ὅσον ἦν ἐν ἡλικίᾳ πλῆθος, εἰς συντάγματα στρατιωτικὰ διεῖλεν. ἕκαστον δὲ σύνταγμα πεζῶν τρισχιλίων ἦν, καὶ τριακοσίων ἱππέων. ἐκλήθη δὲ λεγεὼν, τῷ λογάδας εἶναι τοὺς μαχίμους ἐκ πάντων. Gaza ergo

malùit græcè per genus exprimere, quod Cicero συνεκδοχικῶς, *speciem pro genere posuit, & certum numerum pro incerto. De qua præter Vegetium vide Gellium lib. 16. cap. 4. Legiones inquam Cicero, pro armata manu dixit. Neque enim Latinis ordo, vt Græcis* τάγμα *aut* σύνταγμα *generale est, sed specialiter centuria minor, decuria verò maior reperitur, quippe quæ ex LX militibus constet. Cuius ductor Centurio erat, quum centuria ex C. peditibus conscribi solita sit, cui præerat vexillarius. Decuria autem ex decem equitibus, quam decuriones ductitabant. De his lege plura apud Alexādrū ab Alexan. lib. Genialiū dierum primo, cap. 5. & lib. 4. cap. 2.* Quod igitur adol.) *A minori ad maius. Cato de Re rustica: Ex agricolis, inquit, & viri fortißimi, & milites strenuißimi gignuntur, maximéque pius quæstus. Hoc ipsum Columella ab exemplis paulò suprà adductis, astruit. Xenophon quoque in OEconomico affirmat, Rei militari non aliud hominum genus magis idoneum esse, quàm agricolas.* Rerum omnium satietas.) *Sententia prouerbiali redit ad decorum, ætatum quidem illud. Nam cùm paulò antè decori rationem sequeretur, naturam ipsam verius quàm senile* πρέπον *expreßit. Obseruabis obiter studiose puer, exemplum gradationis doctißimum simul & elegantißimum, vt illæ esse solent, quibus disputatores, quasi per epagogen inducere animos hominum solent, ad id quod persuasum volunt. quam rem nuspiam alibi vel certius, vel clarius perspicere possumus, quàm in comœdia vitæ humanæ speculo. Videas enim ibi quamq́ue ætatem suis delectari studiis, quæ seita inuicem excipiunt, dum vita quasi per manus ad extremā deuoluatur. Sunt autem hæc ab adiunctis.* Occidunt.) *instar solis. Theodorus metaphoram signanter expreßit,* δύνουσιν ἀεί. τὸ ἀεὶ *paraphrasticῶs adiecit.* Equidem non video, cur quid ipse sentiam de morte.) *vt ea re quæ omnium maximè in controuersia ponitur. Transit autem ad vtilitatis caput. Locus enim de immortalitate animæ, docet inutile seni esse diutius superuiuere. Ne quis autē putet* παράβασιν *subesse, nihil enim quicquam hic* παρέργως *dicitur: videas ergo senectutem non modò propter appropinquationem mortis non miseram esse, sed etiam beatam. Nam si ante obitum beatus nemo, vtile mori fuerit. Immoratur autem huic loco, vel ob id diutius, quia nihil homini seni ac sapienti magis cōuenit, quàm exacta vna vita, & ea certò & breui interitura, de alia, æterna nempe, & beata cogitare. Theophrastus apud AEneam Platonicum, varias philosophorum sententias enumerans: Aues, inquit, noster Plato plurima ac præclara de Anima differit, deq́ue hoc eius itinere plerisque in locis mentionem facit. & nunc quidem in Phædone Socrates sensibilia cuncta contemnens, & animæ ad corpus communionem perhorrescens, vinctam, ac veluti in corpore sepultam animam queritur, vehementerq́ue probat atque admiratur arcanum illud & vetus elogium, quo dicitur: In carcere quodam postquam venimus, fuimus. Hoc autē omne Empedocles quidem antrum dixit. Plato autem in eis libris quos de Repub. scripsit, immutato nomine Spelæum appellat. Denique profectionem huic animæ maximam solutionem, Spelæiq́ue fugam esse ait, &c. Lege præterea Lactantium cap. 9. de Origine erroris.* Animus cœlestis.) *Lucretius:*

Denique cœlesti sumus omnes semine oriundi.
Omnibus ille quidem pater est.

Vide Lactantium de Opificio hominis, cap. 19. Sed credo deos.) *Causa finalis, quā si quis ignorat, ignorat causas omnes, teste Proclo.* Vt essent qui terras tuerentur.) *Docent sacræ quoque literæ cuncta hominis causa esse creata. idem etiam poëtæ fatentur. Ouid. Sanctius his animal, &c. Sed licet geminauerit hominis officium, neutrum tamen finem assequitur. Anaxagoras cùm ab eo quæreretur, cuius rei causa homo natus esset, respondit: Solis ac cœli videndi. quod responsum mirabilis errorum destructor Lactantius confutauit libro de Falsa sapiē-*

tia, cap 9. contendens hominis creandi causam fuisse non aliam, quàm Deum colendi, id est, seruandi iustitiam. de quo idem abundè lib. 7. cap. 5. Cœlestium ordinem.) τὴν τῶν οὐρανίων εὐταξίαν De diuis interpretantur. Ego de certis syderum vicibus malo, adeoq́ue totius vniuersitatis ornatu, ob quem vt Græcis κόσμος, sic Latinis mundus dicitur. de quo Aristot. & Plinius. non quod nesciam, ab antiquorum theologis superiorum ordines poni, vt est apud Iamblichum de mysterus. Vt autem ita sentiam, non modò τοῦ ἀνθρώπου nomenclatura, sed etiam erectus (vt poëtæ verbis vtar) ad sydera vultus efficit. Nec inficias eo, quod Lactantius cap. 1. de Orig. erroris, ad dei contemplationem refert, cuius sedes illa est, quem oculis nō possumus, animo contemplemur. Sed audi quid Pymander Tatio apud Mercurium Trismegistum, dialogo quinto respōdeat: Cùm inquit, Deum videre volueris, suspice solē, ô fili mi Tati, suspice lunæ cursum, suspice syderum ordinem reliquorum. Quis age perpetuum harum seruat ordinem? Ordo quidem omnis numeri lociq́ue limitibus terminatur, &c. Quid multis probationibus opus est? quū Cicero sibi ipse maximè idoneus interpres sit. Sic enim in fragmento de Republica Aphricanus loquitur: Homines sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, quæ terra dicitur, &c. quo loco omnino Macrobius videndus est, nempe cap. 14 libri primi. Item lib. de Natura deorum 2. Quæ primum eos humo excitatos celsos & rectos constituit, vt deorum cognitionem, cœlum intuentes, capere possent. Sunt enim ex terra homines, non vt incolæ & habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum, atque cœlestium, quasi spectaculum ad nullum aliud genus animantiū pertinet. Adiiciamus Socratis suffragium, quod apud Xenophōtem lib. 1. de Dictis & factis Socratis extat: ἔπειτ' οὐκ οἴει φροντίζειν, οἳ πρῶτον μὲν μόνον τῶν ζώων ἄνθρωπον ὀρθὸν ἀνέστησαν. ἡ δὲ ὀρθότης καὶ πρὸς ὁρᾶν πλέον ποιεῖ δύνασθαι, καὶ τὰ ὕπερθεν μᾶλλον θεᾶσθαι, καὶ ἧττον κακοπαθεῖν, καὶ ὄψιν καὶ ἀκοὴν καὶ τὸ στόμα ἐνεποίησαν. ἔπειτα τοῖς μὲν ἄλλοις ἑρπετοῖς πόδας ἔδωκαν, οἳ τὸ πορεύεσθαι μόνον παρέχουσιν. ἀνθρώπῳ δὲ καὶ χεῖρας προσέθεσαν, αἳ τὰ πλεῖστα οἷς εὐδαιμονέστεροι ἐκείνων ἐσμὲν, ἐξεργάζονται. καὶ μὴν γλῶτταν γε πάντων τῶν ζώων ἐχόντων, μόνην τὴν τῶν ἀνθρώπων ἐποίησαν, οἵαν ἄλλοτε ἀλλαχῆ ψαύουσαν τοῦ στόματος, ἀρθροῦν τε τὴν φωνὴν, καὶ σημαίνειν πάντα ἀλλήλοις ἃ βουλόμεθα. τὸ δὲ καὶ τὰς τῶν ἀφροδισίων ἡδονὰς τοῖς μὲν ἄλλοις ζώοις δοῦναι, περιγράψαντας τοῦ ἔτους χρόνον, ἡμῖν δὲ συνεχῶς μέχρι γήρως ταῦτα παρέχειν. οὐ τοίνυν μόνον ἤρκεσε τῷ θεῷ τοῦ σώματος ἐπιμεληθῆναι, ἀλλ' ὅπερ μέγιστόν ἐστι, καὶ τὴν ψυχὴν κρατίστην τῷ ἀνθρώπῳ ἐνέφυσε. Audiamus etiam Philonē de Mundo: ἐξαίρετον δὲ τῆς κατασκευῆς ἔλαχεν ἄνθρωπος. τῶν μὲν γὰρ ἄλλων τὰς ὄψεις περιήγαγε κάτω κύψας, διὸ νένευκε πρὸς χέρσον. ἀνθρώπου δὲ ἔμπαλιν ἀνώρθωσεν, ἵνα τὸν οὐρανὸν καταθεᾶται, φυτὸν οὐκ ἐπίγειον, ἀλλὰ οὐράνιον, ὡς παλαιὸς λόγος. Imitarentur.) In omnibus quotquot ego vidi Græcis codic. ἀπομιλοῖντο, falsò pro ἀπομιμοῖντο legitur. Nec me solum ratio.) Apud quosdam cōtrouertitur, autoritásne an ratio in disputando plus ponderis habeat. Iureconsulto religio est, quicquā sine legis autoritate affirmare. At legū ipsarum fundamentum ratio est, qua correcta, lex sublata censetur. Quanto rationalis medicina emperica præstantior sit, ratio ipsa docet. Philosophi sententias quidem philosophorum colligunt, quibus sui dogmatis rationes subiungunt. & quemadmodum autoritates, sic rationes quoque ipsorum inter se colliduntur. Isq́ue tandem causa superior sit, non qui plures assertores, sed qui solidiores rationes adducit: exceptis Pythagoricis, quibus illud omne ex Tripode dictum est, quicquid αὐτὸς ἔφη. Sed si visum est, colligemus etiam huius cōtrouersiæ calculos. Socrates in Platonis Hippia, nullum inscitiæ euidentius argumentū dicit, quàm si quis ab sapientibus viris dissentiat. Aristoteles item in Elenchis ait, discentem credere oportere. Et Seneca, præceptores deorum ritu colendos existimat. Et Quintiliano summorum virorum auto-

ritas pro ratione est. Atque eodem autore, vetera, maiestas quædã religio cõmẽdat. Sed hic tamen habendam esse nõ minoris autoritatis viri censent. Plato, inquiunt, amicus, amicior tamen veritas. Cicero de Finibus ἀκαταληψίαν statuens, leuitati & inconstantiæ adscribit, aut falsum sentire, aut quod non satis exploratè traditum est, velle defendere. Eundem ipsum nulla vllius disciplinæ ligarũt vincula, quin ex omnibus (id quod Atticus ipsi libro 5. Tusc. quæst. tribuit) libaret, quod quẽq; maximè veritatis specie moueret. Ille rursus idem de Nat. deorum primo, Cottæ in disputando ita adiuturũ dicit, vt liberum sit, nulla coactio necessitate certam tueri sententiã. Sic Horatius quoque, Nullius addictus iurare in verba magistri. Ego paucis ita censeo, magnorum virorum sententiis tantùm autoritatis tribuendum, quantum rationis assertionibus subest: ita contrà insignem temeritatis notam esse, vel statim errori subscribere. vel quod temperata solutione mitigari poterat, importunius velle demoliri. Lege super hac controuersia Lactantium lib. 2. cap. 8. Qui essent Italici philosophi.) De Pythagora, Italicisque philosophis, lege omnino Laërtium lib. 8. Placet Augustini verba ascribere, quibus lib. 8. de Ciuitate dei inter Italicos & Ionicos philosophos liquidò decernit: Quantum, inquit, attinet ad literas Græcas, quæ lingua inter cæteras clarior habetur? duo philosophorum genera traduntur: Vnum Italicum, ex ea parte Italiæ, quæ quondam magna Græcia nuncupata est: alterum Ionicum, in eis terris vbi & nunc Græcia nuncupatur. Italicũ genus autorem habuit Pythagoram Samium, à quo etiam ferunt ipsum philosophiæ nomẽ exortum. Nam cùm antea sapientes appellarẽtur, qui modo quodam laudabilis vitæ aliis præstare videbantur: iste interrogatus quid profiteretur, philosophum se esse respondit, id est studiosum, vel amatorem sapientiæ. quoniam sapientem profiteri, arrogantissimum esse videbatur. Ionici verò generis princeps fuit Thales Milesius, vnus illorũ septem, qui appellati sunt Sapientes. Sed illi ex vitæ genere distinguebantur, & quibusdam præceptis ad bene viuendũ accommodatis, &c. Vide ibidem doctissimum commentarium Ludouici Viuis. Quin ex vniuersa mente.) Plutarchus in Placitis philosophorum lib. 4. cap. 2. πυθαγόρας ἀριθμὸν ἑαυτὸν κινοῦντα, τὸν δὲ ἀριθμὸν αὐτὶ τοῦ νοῦ παραλαμβάνει. AEgyptiorum hoc dogma est, Pymander apud Trismegistum dial. 12. Mens quidem ô Tati, inquit, ex ipsa Dei essentia (si qua tamen est eius essentia) nascitur. Hæc qualiscunque sit. sola seipsam syncerè cõprehendit: mẽs igitur ab essentia Dei nequaquam diuisa, sed illi potius eo modo connexa, quo solis corpori lumen. Hæc mens Deus est in hominibus, atque idcirco nonnulli ex hominum numero dij sunt, eorumque humanitas diuinitati proxima, &c. Atque rursus dialogo quinto: Deus profectò mens non est: at verò vt sit, mens causa est. nec spiritus, sed causa quod spiritus extat: neque lumen, verùm causa qua lumen existit: vnde Deum colere oportet duobus his cognomentis, quæ soli competunt illi, cæterorum verò nulli penitus cõpetunt. Nec Pythagoræ tantùm, sed Thaletis quoque, & Democriti opinio est: quorum alter Deum mundi mentem, alter mẽtem igneam (πῦρ νοερὸν, Seruio Aen. 6.) mundi animam appellat. Menti etiam quadrare aiunt Dei apud Socratem & Platonem nomina: vt sunt, vnum, vnigenitũ, suapte ipse spõte natum, singulare, verum, germanumq́ue bonum. Ascribam adeò super ipsa re Plutarchi verba, quæ leguntur in Placitis lib. 1. cap. 7. θαλῆς νοῦν τοῦ κόσμου θεὸν, ἀναξίμανδρος τοὺς ἀστέρας οὐρανίους θεὸς, δημόκριτος νοῦν θεὸν ἐμπυροειδῆ, τὴν τοῦ κόσμου ψυχήν. πυθαγόρας τῶν ἀρχῶν τὴν μονάδα θεὸν καὶ τἀγαθὸν, ἥτις ἐστὶν ἡ τοῦ ἑνὸς φύσις, αὐτὸς ὁ νοῦς. τὴν δὲ ἀόριστον δυάδα, δαίμονα, καὶ τὸ κακὸν τὸ περὶ ἣν ἐστὶ ὑλικὸν πλῆθος, ἔστι καὶ ὁρατὸς ὁ κόσμος. σωκράτης καὶ πλάτων ἓν τὸ μονοφυὲς, τὸ καὶ αὐτοφυὲς, τὸ μοναδικὸν, τὸ ὄντως ἀγαθὸν· πάντα δὲ ταῦτα τῶν ὀνομάτων εἰς τὸν νοῦν σπεύδει. νοῦς οὖν ὁ θεὸς χωριστὸν εἶδος, τουτέστι τὸ ἀμιγὲς πάσης ὕλης μηδενὶ παθητῷ συμπεπλεγμένον.

Delibatos animos.) id est deriuatos, infusos. Theodorus ἀποῤῥυέντας. Animam infundi, D. quoque Augustinus affirmat, cap. 18. de dogmatibus ecclesiasticis. quod ἀξίωμα μετεμψυχώσει traduci, multisque id genus erroribus confutandu prodest: soluitque eorum cauillum, qui animas interituras eò dicunt, quia vnà cum corpore τὸ εἶν acceperunt. Demonstrabatur.) Quasi hoc non apud Platonem legerit, sed ex relatu acceperit, id quod per temporis interuallum facilè fieri potuit. Deseruisset.) Quem sermonē Plato in dialogo, cui Phædoni titulum fecit, complexus est. Sapientiß. iud.) De hoc in Lælio. Colligit autem summã doctrinæ Platonicæ, quam de immortalitate animæ docuit. Sunt enim hæc quatuor veluti κύριαι δόξαι, quibus in disputando ceu notionibus certis, pro complexionũ rationibus vti queas, vt quas inficiari in doctorum colloquio sit nefas. Doctrinæ Platonicæ de immortalitate animæ, πολύοχον reperies apud Alcinoum cap. 25. Tanta celeritas animorum.) Diuus Aurelius Augustinus doctissimum de quantitate animæ librum posteritati reliquit, in quo septem gradus ponit: quibus subinde se Virtus animæ superat, in quibus celeritas tertium locũ obtinet. En eius rei ἀπαντίασιν.

Virtutis animæ gradus septem.		Easdem refert alio modo	Rursus alio
	7 Contemplatio	Apud Deum	Apud pulchritudinem
	6 Ingreßio	Ad Deum	Ad pulchritudinem
	5 Tranquillitas	In seipsa	In pulchritudine
	4 Virtus	Ad seipsam	Ad pulchritudinem
	3 Ars	Circa corpus	Circa aliud
	2 Sensus	Per corpus	Per aliud
	1 Animatio.	De corpore.	De alio.

Tot inuenta.) Proclus perfectiores animas, ad inueniendum promptiores ait: imperfectiores, magis externis adminiculis indigere. *Cumq; animus semper.)* Hincilla de endelechia inter philosophos disputatio. Hinc Thaleti, ἡ ψυχὴ φύσις ἀεὶ κίνητος, ἢ αὐτοκίνητος. Hinc Pythagoræ, ἀριθμὸς ἑαυτὸν κινοῦν quo loco Plutarch. τὸν ἀριθμὸν ἀντὶ τοῦ νοῦ accipit. Hinc Platoni οὐσία νοητὴ ἐξ ἑαυτῆς κινητή. Motibus animæ hisce Plato nomina assignat libro de Legibus 10. ἐθέλειν, σκοπεῖσθαι, ἐπιμελεῖσθαι, βουλεύεσθαι, δοξάζειν ὀρθῶς, ἐψευσμένως. Atque furore tam poëtico quàm vatidico animus non per se, sed numinis impulsu mouetur, at-

gumentum tamen Phædro Platonico immortalitatis præbet. Nec principium motus.) Pugnat cum hoc Aristoteles, qui ἀκίνητον τὴν ψυχὴν πάσης κινήσεως προηγουμένης facit. τῆς δὲ κατὰ συμβεβηκὸς μετέχειν, καθάπερ τὰ εἴδη τῶν σωμάτων. Plutarchus in Placitis lib. 4. cap. 2. & 6. Lege ad hæc Macrobium libro de somnio Scipionis 2. cap. 12. & sequentibus.

Non posse eum diuidi.) Vel hic liquet Ciceronem hic, vt Platonem plerũque, mentẽ νοῦν, animi nomine intelligere. Plato enim τὴν ψυχὴν, animã triplicem finxit: cuius principatum, id est, rationem in capite, sicut in arce posuit. & duas partes separare voluit, iram & cupiditatem, quas locis suis disclusit. iram in pectore, cupiditatem subter præcordia locauit. De hac animæ simplicitate Cicero Tusc. quæst. 1. scribit in hunc modum. Ergo animus, qui, vt ego dico, diuinus: vt Euripides audet dicere, deus est. Et quidem, si deus, aut anima, aut ignis est, idem est animus hominis: nam vt illa natura cœlestis, & terra vacat, & humore, sic vtriusque harum rerum humanus animus est expers: sin autem est quinta quædam natura ab Aristotele inducta, primum hæc & deorum est, & animorum. hanc nos sententiam secuti, his verbis in Consolatione hæc expreßimus: Animorum nulla in terris origo inueniri potest. Nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur. Nihil est aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat: quod & præterita teneat, & futura prouideat, & complecti poßit præsentia, quæ sola diuina sunt: nec inuenietur vnquam, vnde ad hominẽ venire poßint, nisi à Deo. Singularis est igitur quædam natura, atque vis animi, seiuncta ab his vsitatis notisque naturis. Ita quicquid est illud quod sentit, quod sapit, quod vult, quod viget, cœleste & diuinum est, ob eamque rem æternum sit necesse est. Nec verò Deus ipse qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam & libera, & segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens & mouens, ipsaque prædita motu sempiterno. Hoc è genere, atque eadem è natura est humana mens. Magnoque esse argumento.) τεκμήριον Theodorus vertit, quod est signum infallibile, quod aliter se habere non potest, tollitque omnem controuersiam. Hæc Fabio vix ad artem pertinere videntur. Homines scire pleraque.) Habet primum memoriam, & eam infinitam rerum innumerabilium, quam quidem Plato recordationem esse vult vitæ superioris. Disputatio isthæc in Phædone est. Rursus in illo libro qui inscribitur Menon, pusionem quendam Socrates interrogat quædam geometrica de dimensione quadrati. Ad ea sic ille respondet, vt puer. Et tamen ita faciles interrogationes sunt, vt gradatim respõdẽs eò perueniat, quasi geometrica didicisset. Ex quo effici vult Socrates, vt discere nihil aliud sit quàm recordari. Quem locum multò etiam accuratius explicat in eo sermone, quem habuit eo ipso die quo exceßit è vita. Docet enim quemuis, qui omnium rerum rudis esse videatur, bene interroganti respondentem, declarare se non tum illa discere, sed reminiscendo recognoscere. nec verò fieri vllo modo posse, vt à pueris tot rerum atque tantarum insitas & quasi consignatas in animis notiones, quas ἐννοίας vocat, haberemus, nisi animus antequam corpus intrasset, in rerum cognitione viguisset. Cúmque nihil esset, vt omnibus locis à Platone disseritur (nihil enim ille putat esse quod oriatur & intereat, idque solùm esse quod semper tale sit, qualem idem appellat ille, speciem nos.) quod non potuit animus hoc in corpore inclusus agnoscere, cognita attulit. Ex quo tam multarum rerum cognitionis admiratio tollitur. Neque ea planè videt animus, cum repente in tam insolitum, tamque perturbatum domicilium migrauit: sed cùm se collegit, atque recreauit, tum agnoscit ea reminiscendo. Ita nihil aliud est discere, nisi recordari. Hæc Cicero Tusc. quæst. 1. Videamus quid ecclesiastici doctores de Platonicis dogmatibus sentiant. Tangit hoc postremũ Aur. August. in libro de Magistro, nec tamen apertis buccinis suffragatur. De quantitate animæ cap. 20.

clara voce assentire videtur. Tertullianus de Resurrectione, laudat Platonicos quidem, sed in hoc reprehendit, quod remeabilem in alia corpora animam dicant. Lactantius Firmianus disertus ille contra Ethnicos disputator, libro Diuinarum instit. 7. qui de diuino præmio (licet ipse alibi de Vita beata allegat) Platonis argumenta quanuis ad rem conferant multum, tamen satis habere firmitatis, & ad probandam & implendam veritatem pernegat. Erroribus ergo philosophorum notatis, veritatem ipse substruit, lege eum cap. 8. & aliquot ordine sequentibus.

BALDVINVS. Cur? volito viuus per ora virum.) Gaza hoc non vertit, nec habetur in plerisque exemplaribus. Quod ad eam propius adsum.) vetusti codices habēt, quò ab ea propius absum. Cumque animus semper agitetur, nec principium motus habeat, &c.) Ex Phædro Platonis sumptum est. quia hunc locum persequitur fusius sub finem somnij Scipionis, & in lib. 1. quæst. Tusc. Hanc Platonis argumentationem Macrob. cap. 3. lib. 2. in somnium Scipionis copiosè declarat, Aristotelis contraria argumenta dissoluens. Magnoque esse argumento, homines scire pleraque antequam nati sunt, quòd iam pueri, &c.) Idem docet fusius in lib. 1. quæst. Tusc. ex Menone & Phædone Platonis. Cyrus autem apud Xenophontem lib. 8. hæc dicit, filios ad concordiā adhortans. Cicero à Xenophonte recedit in quibusdam, quod vel mediocriter doctus facilè deprehendet.

Apud Xenophontem autem moriens Cyrus maior, hæc dicit, Nolite arbitrari ô mihi charissimi filij, me, cùm à vobis discessero, nusquam aut nullum fore. Nec enim dum eram vobiscum, animum meum videbatis: sed eum esse in hoc corpore, ex his rebus quas gerebam, intelligebatis. Eundem igitur esse creditote, etiam si nullum videbitis. Nec verò clarorum virorum post mortem honores permanerent, si nihil eorum ipsorum animi efficerent, quò diutius memoriā sui teneremus. Mihi quidem nunquam persuaderi potuit, animos, dum in corporibus essent mortalibus, viuere, cùm exissent ex his, emori. Nec verò tum animum esse insipientem, cùm ex insipienti corpore euasisset: sed cum omni admixtione corporis liberatus, purus & integer esse cœpisset, tum esse sapientem. Atque etiam cū hominis natura morte dissoluitur, cæterarum rerum perspicuum est, quò quæque discedant. Abeunt enim illuc omnia vnde orta sunt: animus autem solus nec cùm adest, nec cùm discedit, apparet. Iam verò videtis nihil morti esse tā simile, quàm somnū. Atqui dormientium animi maximè declarant diuinitatem suam, multa enim cùm remissi & liberi sunt, futura prospiciunt. Ex quo intelligitur, quales futuri sint, cùm se planè corporum vinculis relaxauerint. Quare si hæc ita sunt, sic me colitote, inquit, vt deum. Sin vnà interiturus est animus cum corpore, vos

Verba Cyri morientis, octauo pædia apud Xenophontem.

Nota.

Nihil tam morti simile, quàm somnus.

tamen deos verentes, qui hanc omnem pulchritudinem tuentur,& regunt, memoriam nostri piè inuiolateque seruabitis. Cyrus quidem hæc moriens.

BBTKDETKS. Sin vnà interiturus.) Rem pulcherrimam asserens turpi dubitatione tollit. Fiducia autem isthæc solida solis sanctis, vnà cum sanctificatione diuinitus conceditur.

Nos (si placet) nostra videamus. Nemo vnquam mihi Stipio persuadebit, aut patrem tuum Paulum, aut duos auos Paulum & Africanum, aut Africani patrem, aut patruum, aut multos præstantes viros, quos enumerare necesse non est, tanta esse conatos quæ ad posteritatis memoriam pertinerent, nisi animo cernerent posteritatem ad se pertinere. An cēses (vt de me ipso aliquid more senum glorier) me tantos labores, diurnos nocturnosque domi militiæque suscepturum fuisse, si iisdem finibus gloriam meam, quibus vitam, essem terminaturus? Nónne melius multò fuisset ociosam ætatem & quietem, sine vllo labore aut contentione traducere? Sed nescio quomodo animus erigens se, posteritatem semper ita prospiciebat, quasi cùm excessisset è vita, tum denique victurus esset. Quod quidem ni ita se haberet, vt animi immortales essent, haud optimi cuiusq; animus maximè ad immortalem gloriā niteretur. Quid, quod sapientissimus quisque æquissimo animo moritur, stultissimus iniquissimo? Nónne vobis videtur animus is, qui plus cernat, & longius, videre se ad meliora proficisci: ille autem cuius obtusior sit acies, non videre? Equidem efferor studio patres vestros, quos colui & dilexi, videndi. Neque verò eos solùm conuenire aueo, quos ipse cognoui, sed illos etiam de quibus audiui, & legi, & ipse conscripsi. Quò quidem me proficiscentem, haud sanè quis facilè retraxerit, néve tanquam Peliam recoxerit. Et si quis deus mihi largiatur, vt ex hac ætate repuerascam, & in cunis vagiam, valde recusem: nec verò velim, quasi decurso spacio, à calce ad carceres reuocari. Quid enim habet vita commodi? quid non potius laboris? Sed habeat sanè, habet certè tamen aut satietatem, aut modum. Non libet enim mihi deplorare vitam, quod multi, & hi docti sæpe fecerunt. Nec

Stulti iniquo animo mortem ferunt, sapiētes verò æquißimo.

Prouerbium.

me vixisse pœnitet: quoniam ita vixi, vt non frustra me natum existimem. Et ex hac vita ita discedo, tanquam ex hospitio, nō tanquam è domo. Commorandi enim natura diuersorium nobis, non habitandi dedit. O præclarum diem, cùm ad illud diuinum animorum consilium cœtumque proficiscar, cumque ex hac turba & colluuione discedam: proficiscar enim, non ad eos solùm viros, de quibus ante dixi, verùm etiam ad Catonē meum, quo nemo vir melior natus est, nemo pietate præstantior: cuius à me corpus crematum est, quod contrà decuit, ab illo meum. Animus verò non me deserens, sed respectans, in ea profectò loca discessit, quò mihi ipse cernebat esse veniēdum. Quem ego meum casum fortiter ferre visus sum, non quòd æquo animo ferrem, sed me ipse consolabar: existimans non longinquum inter nos digressum & discessum fore. His mihi rebus Scipio (id enim te cum Lælio admirari solere dixisti) leuis est senectus: nec solùm non molesta, sed etiam iucunda. Quòd si in hoc erro, quòd animos hominum immortales esse credam, libenter erro: nec mihi hunc errorem quo delector, dum viuo, extorqueri volo: sin mortuus (vt quidam minuti philosophi censent) nihil sentiam, non vereor ne hūc errorem meum mortui philosophi irrideant. Quòd si non sumus immortales futuri, tamen extingui homini suo tempore optabile est. Nam habet natura, sicut aliarum omnium rerum, sic viuendi modum. Senectus autem peractio ætatis est, tanquam fabulæ: cuius defatigationem fugere debemus, præsertim adiuncta satietate. Hæc habui de senectute quæ dicerem, ad quam vtinam perueniatis, vt ea quæ ex me audistis, re experti, probare posſitis.

Sic vixit Cato, vt frustra se natum non existimet.

Cōmorandi non habitandi diuersoriū habemus.

ERASMVS. *Vitam essem terminaturus.) Vt naufragium facit, cui nauis frangitur: ita terminat vitam, aut gloriam, cui finitur gloria, aut vita.* *A calce ad carceres.) Mirè coniunxit diuersas metaphoras. Siquidem à calce, sumptum est à corpore humano, ad carceres, sumptum est à spacio ludorum equestrium.*

BEDK DBTKS. *Nos si placet.)* Communicatio. *Aut Africani fratrem.) Patrem quidam rectius legere videntur, cum quibus etiam Theodorus facit. Solet enim Cicero Mauortia pectora fratres simul adducere. Quid enim attinebat Africani patruum memorare, patrem autem silentio præterire? Duo inquam intelligit, fulmina belli. Non interea negauerim Asiaticum rem fortiter pro patria gesſisse, sed ex eo nulla proles apud scriptores, quod*

ego sciam, memoratur. Nónne multò melius.) Theodorus, κάλλιον. Nihil enim pulchrum, teste Platone, nisi idem sit bonum. Intellige tu μᾶλλον προηγούμενον, quia verè bonum extra virtutes nihil. Sed ocio & tranquillitate iucundius, & deinde vulgari opinione melius nihil, quàm sibi studere, & penatibus. iuxta illud Horatij: Beatus ille qui procul, &c. Ad immortalem gloriam.) Aducit Theodorus ἀγήρων, id est, niteretur senescendo. Quid quòd sapientißimus quisque.) Vide Adrianum Cardinalem. Quod ad scriptoris mentem attinet, reperies scriptorum Ecclesiasticorum libros hac sententia refertos. Extat ea de re caput apud Volaterranum lib. Philologiæ 31. Nónne vobis videtur animus is qui.) Innititur hoc fundamento, quod Proclus scribit perfectiores magis animas ad inuentiones promptiores, imperfectiores magis externis adminiculis indigere, nempe vt quibus duce opus sit. Obtusior sit acies.) ἀντίθεσις metaphoram venustiorem reddit, qua imbecillis oculorum vis intelligitur.

Equidem efferor studio frat.) Aliàs afficior. Theodorus, ἐκφέρομαι. ἐκφέρεσθαι Græcis, sicut efferri Latinis, dicuntur cadauera mortuorum, significat hic extolli. Quos colui & dilexi.) Theodorus, στέργων τε. vnde ἀστοργοι apud diuum Paulum, qui naturali affectu carent. Néve tanquam pilam retorserit) Theodorus, οὐδ' ὥσπερ σφαῖραν αὐτὴν ἐξαποσφαιρίσαι. Obserua pleonasmum Atticum. Lenit autem metaphoram, quæ prouerbij speciem habet, vt pila mea est. Cæterùm de pilæ ludo, lege Alexandrũ ab Alexand. Genialium dierum lib. 3. cap. 21. Volaterranum libro Philolog. 29. Virgilium Vrbinatem de Inuentoribus rerum libro secundo, capite 14. Beroaldum in Augusto, apud Tranquillum. Cælium libro 11. cap. 14. Quòd si quis Deus mihi largiatur.) Dij siquidem, iuxta prouerbium, sua sponte aliquando subijciunt bona. In cunis vagiam.) ἐν κοιλίδι βαβάζειν. Quasi decurso spacio.) Bud. in Commentariis, in verbis paßiua voce formandis longè liberaliorẽ græcam linguam asserit quàm latinam, quorum quædam verecundè simul & nauiter Ciceronẽ imitatum esse. Decurso spacio.) Theodorus, δόλιχον οἷόν τινα ἐκδραμών. Budæus in Comment. græcæ linguæ: διαυλοδρόμοι igitur sunt, qui cursum Circensem peragunt, id est, διστάδιον. δόλιχος etiam fuit cursus, & maior (vt opinor) diaulo: vnde δολιχεύειν cursum plenum implere, & cursus orbem peragere. Atque idem in Annotationibus in l. vltima. ff. si mensor falsum modum δίαυλος, inquit, mensura est duorum stadiorum. millium, stadiorũ est septem semis, vel etiam octo. δόλιχος, stadiorum duodecim, vnde διαυλοδρόμοι, δολιχοδρόμοι. Rursus idem Bud. in iisdem Annotationibus l. athletas. ff. de iis qui infamia not Cursores pars σταδιοδρόμοι vocitati, stadium percurrebant: pars διαυλοδρόμοι dicti, quum ad metam peruenerant, flectentes, eò rursus recurrebant, vnde cursum interant. δίαυλος enim dicitur huiusmodi circũactus curriculi, id est, curriculum duplum. Erant & δολιχοδρόμοι, qui sexies, vt quidam putant, stadium curriculo obibant. δόλιχος certè longißimus cursus dicebatur. Hæc Budæus. ex cuius verbis apparet, Ciceronẽ id voluisse exprimere: Theodorum item, speciali nomine obscuritatem tollere. Lege præterea Alexandrum ab Alexand. lib. Genialium dierum 2. cap. 20. Alciatum l. mille paß. ff. de verb. signif. Lonicerum Ode xij. Olympiad. apud Pindarum, Pollucem lib. 3. cap. 23. Cæterùm de prouerbio quis alius quàm Erasmus Roterod. consulendus, cui vel ob hoc ipsum Chiliadum opus tota literatorum Respub nunquã satis pro meritis respondebit. Quid non potius laboris.) ἐπανόρθωσις. Sed habeat sanè.) Conceßionis formula. Non libet enim mihi deplorare.) Ex nostris scriptoribus nemo vehementius grauiúsque in vitæ humanæ miseriam inuehitur, quàm Plinius in præfatione libri septimi. Ne autem chartam inaniter lineis compleam, ostendam compendio syluam immẽsam. Legito Erasmum in prouerb. Optimum non nasci. Ioachimum Camerarium in Tusc. Ciceronis primam, vbi de Sileni fabula. Ioachimum item Vadianũ in 2. Melæ librũ, vbi de Thracis,

bus Camertis commentarium in cap. 15. Polyhistoris Soliniani. *Deplorare.*) Theodorus, ὀλοφύρεσθαι, gestũ exprimit. *Et hi docti.*) Theodorus, δι' ἀπαιδευσίαν δυσεργής τις, vt qui ruditatem sæpe posuerint, nisi malis cum aliis Indocti legere. Sed videtur Platonem perstringere, qui hoc facit in Axiocho. *Vt frustra me natum.*) Respicit ad illud Platonis, quod Cicero de Off. c. 1. ex epistola quæ ordine nona est, ad Architam Tarentinum: nempe neminem hominem sibi soli natum, sed ortus nostri partem parentes, partem amicos vẽdicare. *Et ex vita ista discedo.*) Videtur & hoc (vt pleraque) ex Platone desumptum, qui in Axiocho vitam hominu peregrinationem dicit. Magnos veræ lucis radios necesse est in illis hominibus fuisse, qui verum tam cominus videre, & mentis aciem ad cœlestia vsq; domicilia vibrare potuerunt. *Concilium cœlumq́ue.*) Quibus eleganter turbam colluuionemq́ue opponit, vt παραβάτας. *Catonem meum.*) De hoc alibi. Sed Cicero exprimit sub Catonis persona, quod Plutarch. de eo refert, nempe Catonem filij sui, vt optimi viri, in suis libris mẽtionem facere. *Cuius corpus à me crematum.*) De funerum ritibus plura lege apud Alexandrum ab Alexand. Genialium dierum lib. 2. cap. 7. apud Volaterranum lib. 3. Phil. cap. vlt. Liuij Abbreuiator scribit, Catonem filij funus paruo sumptu fecisse. *Nemo vir.*) Frequens Ciceroni est, nemo pro nullus: vt nemo homo, nemo adolescẽs, nemo patronus, nemo vnus. *Quẽ ego meum casum.*) Hoc Lælius de Amicitia, de Catone claro præconio prædicat. *His mihi rebus.*) Generalis epilogus, postremæ duntaxat confutationis ἀνακεφαλαίωσιν continet.

Vt quidam minuti philosophi.) minorum gentium. Obseruauerunt enim docti inter philosophos, vt in Repub. ordines. Eius rei documenta inuenies apud Lactantium, qui contra minores philosophos peculiarem instituit disputationem. Perstringit autem Epicurum, aliosq́ue eiusdem factionis asseclas. *Errorem meum mortui.*) Sunt enim qui ita distinguant, vt genitiuus possessiuo pronomini construatur. Vt dicimus, Tua legentis interest, Mea solius causa hic agitur. Theod. autem mortui philosophi nominatiuo plurali legit, φιλόσοφοι ἀποθανόντες transferens. Obserua festiuam in altero dilemmatis cornu elusionem. Est enim apud Ciceronem de Oratore 3. hic ridẽdi modus inter cæteros nõ inuenustus, cùm in altercatione ab aduersario arripitur verbum, & ex eo in eum ipsum aliquid, qui lacessiuit, infligitur, neq; hoc extra iocum fit, cũ epilogi officiũ sit, affectus mouere. *Habui hæc.*) Vela colligit *Ad quam vtinam.*) Nam sub initium, ex Platonis imitatione, adolescentes Catonem rogabant, vt eum qui viam longam confecerit, qua ipsis ingrediendum sit, iter ostendat.

BALDVINVS. *Aut Africani fratrem aut patruum.*) Lego ex cod. antiquis, patrem aut patruum existimóque significari P. & Cn. Scipiones: qui (vt ait Cicero in Paradoxis) Carthaginensium aduentum corporibus suis intercludendum putauerunt *Néve tanquam pilam retorserit*) sic habent exemplaria, quæcunque vidi: non, vt quidã legunt, Néve tanquam Peliam recoxerit. *Quod multi, & ij docti.*) sic nos legimus, Gaza videtur legisse, & ij indocti, sicut habent quædam exemplaria. *O præclarum diem quum ad illud animorum concilium, &c.*) In cod. vetustis habetur. Cùm ad illud diuinum animorum. No. Marc. legit, cùm ad illud diuinorum animorum, &c. in vtronis numero turbam indiscretè poni docens pro populi conuentu & turbatione. Hunc locũ Erasmus alicubi multa laude prosequitur.

FINIS.

EXCVDEBAT THOMAS RICHARDVS.